1595

2761

HORATII GVARGVANTI SONCINENSIS

MEDICI AC PHILOSOPHI

TRIA OPVSCVLA.

Hoc eſt { De Theriacæ virtutibus Paraphraſis. / De Mechioacani radice opuſculum. / Ac de ouo gallinarum, & eius vſu in febribus. }

AD ILLVSTRISS.[MVM] ET REVERENDISS.[MVM]
D. D. LVDOVICVM TABERNAM
EPISCOPVM LAVDENSEM.

APVD SERENISSIMAM REMPVBLICAM VENETAM
NVNTIVM APOSTOLICVM.

CVM PRIVILEGIO



VENETIIS, Apud Io. Battiſtam Ciottum. 1595.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO LVDOVICO TABERNÆ EPISCOPO LAVDENSI.

APVD SERENISSIMAM Rempublicam Venetam Nuntio Apoſtolico.

Domino meo Colendiſsimo.

EA EST rerum ſympathiæ vis, Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Legate (etiam in minimis quibuſdam rebus cum maioribus collatis) ut ubi illa reperitur, ibi ingẽs, potenſque, ne dicam neceſſaria, aut violenta conuenientia, & raptus in abſconditis formis, à quibus actiones prodeunt, inſideat, ac vigeat. Neque hoc ſolum in rebus anima carentibus, vt in electro eliciendi paleam, in magnete trahendi ferrum, ſed in animantibus, animalibusq́ue, magisq́ue in ratione præditis conſpicere licet: Nam quidam ſemel alicuius, non amplius, viſa facie quaſi ex arcana neceſſitate primo aſpectu coguntur illum vehementer amare. Id quod mihi tecum, Vir iuſtiſſime, contigit, in cuius vultus ſplen-

dentes radios, quaſi in Orientem Solem, vbi vix oculorum aciem direxi, adeò ex eius maieſtatis claritate tuæ gratiæ deſiderij igne exarſi, ut me tuo amore non ſolum deuinctum, ſed ſtatim quaſi faſcinatum fuiſſe perſenſerim. Sunt me hercle animi tui dotes ſplendentiſſimi ſolis influxus, qui ſicut in his inferioribus ſuo lumine, & motu uarias pro ſubiectorum diuerſitate ſpecies, & formas generat; ſic tuarum virtutum radij prope innumeros, admirabilesque effectus non ſolùm humanos, ſed etiam diuinos in nobis efficiunt. In bonis enim bonitatem, tutelam, præmium, in malis malum, formidinẽ, terrorem, & pœnam producunt: Conſtanti enim, & inconcuſſa iuſtitia vnicuique, quod ſuum eſt, tribui uis; nec amicorum, aut conſanguineorum preces, nec potentum poſtulationes, aut deprecationes à Iuſtitiæ, & æquitatis cancellis, ne latum quidem vnguem, ne cuſpidis quidem aciem te deflectere poſſunt. Dum te aſpicio, mihi uideor uidere Iuſtitiæ Olympum, qui quò magis ab irruentibus Aquilonibus percutitur, magis, ac magis ſtabilis, & inconcuſſus remanet; faciliusque eſſe arbitror cæleſtia eiuſdem montis cacumina aquis poſſe obrui, quam tuæ iuſtitiæ radios caligine, nebulis, non dicam tenebris, obſcurari: qui quaſi nouus Olympus nubes excedis. Hæc eminentiſſima tua uirtus, quæ in animo ſapientiſſimo, prudentiſſimo, & temperatiſſimo reſidet, à ſummis Beatiſſimis Pontificibus, à magnis Regibus cognita fuit; unde tibi ſtatus regimina, Princi-

pumque

pumque maiora negotia cõmiſerunt: in quibus diſponẽdis, & reſoluendis tanta prudentia te te ſemper geſſiſti, vt non ſolum controuerſias difficiles, incredibili cũ dexteritate facile compoſueris, ſed etiam eorundem Principum animos ita concordes reddideris, vt in poſterum in ſumma amoris neceſſitudine, & animorum beneuolentia illos conſeruaueris. Harum actionum tuarum excellentiam teſtatur in primis tibi à ſanctiſſimis Pontificibus ſæpe tributa poteſtas deliberandi ex animi tui ſententia de ijs omnibus, quæ tibi rationi conſentanea eſſe viderentur in tuis Legationibus, pro decore, & commodo ſedis Apoſtolicæ, Chriſtianæq; Reipub. Quæ facultas antehac raro ab alijs Pontificibus cuiquã ſedis Apoſtolicæ Nuntio (quod memoriæ proditum ſit, condonata fuit. O ſecuram confidentiam. O bene notam rerum gerendarum experiẽtiam. Fælices ciuitates, ſi tales Reges haberent. Ego, qui fruor aura ſuaui benignitatis, & beneuolentiæ tuæ, non infælix ſum, quia te magnum Mecænatem habeo, ſub cuius tentorio, quaſi ſub lauri frondibus defenſus ictus fulgurum non formido. Et quia ad tuæ ſanitatis cuſtodiam me tuum Medicum eligere dignatus es, ac in me plurima beneficia contuliſti, accipe in reuerentiæ ſignum opuſculum hoc, quod in tui gratiam conſcripſi: huius enim iamdiu cupidum te cognoui: Cum enim uarias opiniones varijs in locis, de Theriacæ uſu, & uirtutibus intellexeris, quæ fortaſſe tibi mentem ancipitem reddere potuerunt, nunc ex hac

breui

breui enarratione deſcriptas uires habebis, & quomodo in Theriacæ uſu ex Galeni mente vnus quiſque ſeſe gerere poſſit, compendioſe explicatum apparebit: Cui addidi duo alia opuſcula, unum de Mechiochani radice, quæ eſt conuenientiſsimum medicamentum tuæ naturæ, ſicuti eſt etiam ipſa Theriaca; alterum de ouorum natura & uſu in febribus. Hæc tria compendia ſi non erunt tàm docte, & eleganter conſcripta, vt tuum præclarum ingenium, Vir Illuſtriſſime & iuſtiſſime, delectare poſsint: ſaltem quam corde foueo ardentem cupiditatem tibi morem gerendi, & inſeruiendi oſtendere valeant. Nam quæ ex manibus meis imperfecta egredientur, in ſinu tuo quaſi in ſacrario non leuem decorem, & dignitatem recipient. Bene ualeas, ſis fauſtus, & fælix.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Dominationis tuæ

Deditiſſimus ſeruus

Horatius Guarguantus.

DE THERIACA

HORATII GVARGVANTI SONCINENSIS

MEDICI AC PHILOSOHPI

OPVSC. I.

QVEMADMODVM Galenus cognoſcens præclaras Theriacæ virtutes, illas varijs modis patefecit, nec ſolum eius vires pluribus in locis, ſparſim manifeſtauit, ſed etiam integros libros conſcripſit, ita ego eius ſequens veſtigia, eiusq; phraſim, vires eiuſdemmet Theriacæ à me tum experientia comprobatas, tum ex Galeni ſcriptis collectas in paraphraſim ad te virum Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum in breue compendium reuinctas mittere decreui: à Galeni inſtituto parum, aut nihil recedens, qui ad Pamphilianum, & ad Piſonem ſcribens eaſdem diligenter expoſuit. Duæ ſunt cauſæ, quæ me ad ſcribendũ impulerunt; vna eſt ratio ſalutis tuæ, altera vero excellentia ipſius Theriacæ: Tuæ ſalutis, quia nullum remedium excogitari poteſt, quod validius poſſit te virum Illuſtriſſimum à quacunq; ægritudine præſeruare, quam Theriaca. Ratione verò ipſius Theriacæ ad ſcribendum veni, quia mihi ſemper ingentem admirationem attulit, quod eius vſum ferè abolitum eſſe videam à Medicis compluribus noſtræ tempeſtatis, qui adeò rarò, & timidè ad vſum

Theriacæ

Theriacæ deſcendunt, vt obliti eſſe videantur eximiarum virtutum, quas ad noſtræ vitæ cuſtodiam, & ſalutem præſtare ſolet. Si enim Theriaca (vt dicebat Galenus) tantum valeret ad morſum ſerpentum, vel ſimpliciter ad venena, proculdubio illius tanta non eſſet habenda cura (quamuis etiam in hac re pretioſa res ſit) ſed quia mirabile eſt remedium ad infinitas propè ægritudines, ad tuendam ſanitatem, ad tranquillam, & longam vitam ducendam, ad ſenſus omnes vegetos reddendos, nec ſolum præſentia mala perpellere poteſt, ſed eſt præſeruatio tuta, ne in ægritudines labamur, ideò cur tàm raro in vſu habeatur in Italia, & præſertim à quibuſdam Medicis huius ciuitatis, perferre non poſſum; meliusq; eſſe arbitror ea vti, dum ſanitate fruimur, & ægritudines euitare, quàm nolle vnquàm in ſanitate medicamenta, aut remedia vlla ſumere, & tandem ægritudinibus obnoxios euadere. Hinc magni viri, & Romanorum Imperatores die primo nouilunij ſcrupulos duos Theriacæ cum cocleari mellis Attici, ciathisq; duobus aquæ, aſſumere conſueuerunt. Non nulli etiam quarta die nouilunij eandem Theriacæ quantitatem aſſumebant; ſeruata tamen dieta trium dierum, antequam illam aſſumerent, vt ventriculus vacuus reperiretur. Quod præceptũ cupio æneis characteribus in animo ſculptum eſſe, nam ſi corpus non fuerit, aut antea expurgatum, aut ſaltem per victum tenuem per duos, vel tres dies inanitum, non conſulo vſum Theriacæ corpore toto, & præſertim ventriculo repleto. Antiqui ea vtebantur, dum in optima valetudine erant conſtituti, vt tuti viuere poſſent, & vt morbos futuros non formidarent, cum quidquid excrementitij in ſanguine reperitur, emundet, ſegreget, &

abſumat;

abſumat; qualitates temperamento humano inimicas deſtruendo, ac ſanguinem purificatum efficiendo. Amplius cum illis peregrinari contigiſſet per maria, montes, valles, frigidaque loca, vbi prauus aer, aut caligines, ventiue noxam inferrent, prius Theriacam bibebant, ſcientes nulla validiori lorica ſe tueri poſſe, quam virtute Theriacæ, bis, terque, & pluries etiam in hebdomada hiemis tempore illam ſumebant. Extant verò complures hiſtoriæ apud antiquos de vſu Theriacæ frequenti. Hanc quotidie Antoninus Imperator accipiebat, vt Gal. refert. 2. de præcog. ad Poſtumum; Elianus Meccius præceptor amantiſſi. Galeni uir præſtantis virtutis in arte medica, Galeno ipſo referente, dum in Italia ſæuiſſima peſtis graſſabatur à qua nemo correptus euadebat, refert ſe multos iam peſte correptos ſeruaſſe, dum Theriacam in vſu habere incæpit, (loquebatur de illis, qui iam infecti erant.) ſed ex illis, qui nondum peſte erant inquinati, narrat nullum mortuum eſſe, cui Theriaca ante infectionem fuiſſet exhibita. immo nullum penitus damnum à peſte perpeſſum fuiſſe. Miranda ſanè res tantam vim ineſſe huic anthidoto; Sed quid mirum Theriacam à peſte ſeruare humanum genus poſſe aerem inquinatum alterando, ac vincendo, ſi venenum intro ſumptum, quod maiorem vim, & actiuitatem habet, debilitat, oppugnat, ac vincit?

Ad huius virtutes enarrandas accedens, prius vox à Galeno vſurpata diſtinguenda eſt; nam ex Ariſt. 1. cæli. 110. omnis vox ambigua prius eſt diſtinguenda, quã tractetur res, de qua eſt ſermo. Quid ſcilicet per Theriacam recentem intelligamus, quia appellat recentem

Theriacam vſque ad trigeſimum ſextum annum, vox ergo illa recens intelligenda eſt, vt ſonet vigorem ſuum obtinens, ad contradiſtinctionem earum rerum, quæ tempore veteraſcunt, ac ſine virtute obſoleſcunt, Metaphoricè ſcilicet, vt quemadmodum ea, quæ ſuccum, ac virtutem virentem habent recentia appellamus; ita ea, quæ adhuc vigoroſa ſunt, & vim recentem habent, recentia dicuntur. Et hac ſimilitudine Theriaca donec ſuum robur, & virtutem retinuerit, recens appellatur à Galeno. Recens quoque Theriaca dicitur circa primum, 2. & ferè 3. annum, immo vſus communis medicorum, cum dicunt Theriacam recentem, eſt intelligendi Theriacam primi, ſecundi, vel tertij anni; hacq; vtuntur ad morbos, quibus opij vis, & aliorum refrigerantium adhuc obruta non fuit, nec abſolute fermentata: ad contradiſtinctionem Theriacæ antiquæ, quæ intelligitur ſaltem poſt. 6. annum: quo tempore perfectè eſt fermenta: Efficaciſſima ergo eſt vis Theriacæ vſque ad 36. annum: poſt hunc ualet quoque ad eoſdem morbos, ſed debilius, quia tempore & ipſa virtutem amittit; ſicuti ea, quæ illam componunt ſeparatim tempore veteraſcunt, ac vires amittunt. Sit ergo ſtatutum Theriacam magis, vel minus recentem appellari debere, prout magis, vel minus proxima eſt tempori, quo compoſita fuit; veterem uerò, & vetuſtiorem, prout magis recedit ab eodemmet tempore; per triginta tamen ſex annos ſeruare ſuum robur, ſuamq; perfectionem, ratione cuius virtutis recenter ſeruatæ adhuc recens dici poſſit. Veteraſcens verò poſt. 36. annum merito appellari poterit. Vſus tamen communis in officinis Pharmacopolorum retineri debet,

bet, ne errata committantur, vt ſcilicet recentem intelligamus à primo vſque ad tertium annum, à 3. verò anno uerſus. 30. vel 36. magis antiquam, uel minus antiquam appellare poſſimus. More tamen Gal. veterem Theriacam non appellabimus, donec non tranſierit. 36. annum, quo tempore ſolet vim amittere.

Ordine igitur incedendo virtutes ſunt enarrandæ. Valet ad morſum beſtiæ venenatæ, ad venenoſam puncturam, ad offenſam per contactum relictam in corpore noſtro à quacunque re ueneno infecta, ad uiperarum morſus, ad ſerpentium vulnera, ad Iaſpidis percuſſionem, ad canis plagas, de quibus diſtinctius in ſequentibus agetur; & in ijs affectibus Theriaca bene fermentata utendum eſt, quæ ſaltem. 3. annum habeat, & quo magis uerſus. 15. & 20. annum tendet, eò etiam uegetior, & potentior erit. Valet ad humorum malignitatem, & corruptelam, & præcipue ad illos, qui malignas febres occultas, & proditrices producunt. Ecce verba Galeni, [Si in noſtro corpore generatur corruptela humorum, qui ſunt ſicut uenenum, Theriaca ualidiſſimum eſt remedium, vbi à cauſa occulta fuit corruptela.] ex quibus verbis lucidiſſime conſtat in noſtro corpore venena, ſeu venenatos humores generari, quibus præſentaneum eſt remedium Theriaca. Nouam, & antiquam tuſſim ſanat, pectoris, & lateris dolores tollit cũ vino mulſo non febricitantibus, ijs verò, qui febre laborant cum aqua mulſa datur drachma una corporibus robur habentibus: drachma uerò ſemis medijs naturis. Valet ad inflationes ſtomachi, ad inteſtinorum dolores, & tormina, præſertim ad ſæuiſſimos cruciatus

 colicos,

colicos, ad appetitum deprauatum, & caninum cum vncijs. xx. aquæ coctæ communis, & inter alias virtutes excellentes, quas obtinet appetitum deperditum recuperat, ac appetentiam excitat; Cum eadem aqua exhibita valet ad ingentes febrium rigores, ad perfrigerationes, quæ eaſdem febres per interualla accendant; dixi per interualla, quia in febribus quæ continuationis ſuæ cauſam intus habent, quæ in venis putredinem habent, non conuenit vſus Theriacæ, niſi malignitas corruptelæ adeſſet; ratione cuius vi Theriacæ eſſet obſiſtendum: ſed vbi calor, & putredo in venis eſt, quæ febres continuas ſine rigoribus, & ſine interuallis efficiunt, nullo modo Theriaca exhibenda eſt. Cur autem danda in febre maligna? quia plus valet ad iuuandum, malignitatem, & venenoſam qualitatem vincendo, corq; & eius ſpiritus defendendo, ne à fumis, & fuliginibus malignis enecentur, quàm ad lædendum ſuo calore, & ſua ſiccitate febrem accenſam aliquo modo ſupercalefaciendo. Huius particularis virtutis ad febrem malignam debellandam experientiam fecit in ſeipſo præclariſſimus Laurentius Maſſa, vir ſummi iuditij, ſummæ prudentiæ, & in re præſertim medica valde verſatus, qui (vt ex eius ore accepi) cum in magno diſcrimine vitæ ſuæ eſſet, maligna febre correptus proprio ſuaſus conſilio, medicis illius temporis qui illius curam habebant renuentibus omnibus, Theriacam ſumpſit, qua ſumpta virtutes omnes ſtatim reuiuiſcere cęperunt, ac tandem feliciter conualuit, cuius felicis euentus ſucceſſio cauſa fuit, vt Theriacam ſemper in magno honore habuerit, ac virtutes illius apud multos promulgauerit medicos. Propinanda autem eſt cum aqua, vel communi

ni cocta, vel ſtillaticia cordiali, & frigida potentia. Dandaque eſt, vel prius optime purgato corpore, vel poſt morbi vigorem vniuerſalem; nam ſi vel corpore pleno, vel in principio, aut in augmento, aut in vigore ipſo (loquor de temporibus vniuerſalibus morbi) exhibeatur Theriaca, periculum illud imminet, quod à Galeno notatum fuit de quodam medico, qui auſus eſt homini, qui triplici quartana laborabat, medicamen ex viperis, ideſt Theriacam exhibere, cum nondum in ſtatu eſſet, deinde (vt par erat) auctis omnibus, febris continua ſubſecuta hominem occidit: Quare malus anthidoti uſus, cladem induxit. Et ideò medici iuditio præditi eſſe debent, vt ſciant omnia requiſita ad rectam remediorum adminiſtrationem, & præſertim cognoſcant occaſionem, ideſt tempus agendi; Non miror nonnullos uocari infortunatos medicos, qui aduerſam fortunam ſibimet ipſis efficiunt, ſola hac de cauſa, quia licet remedijs abundent, attamen coniecturis neſciunt metiri tempora idonea, quibus medicamenta cũ ægrotorum ſalute exhibeãt: quare ægri ſemel erepti à periculo, & diſcrimine, amplius ſub illorum incerto, & fallaci ingenio ſe ipſos committere nolunt: immo quandoque omnes medicos, licet expertiſſimi doctiſſimique ſint, formidant. nam (prouerbiũ eſt) elapſus hamo piſcis quidquid undis internatat metuit; & excuſſa faucibus luporum ouis glaucos eminus horret canes, explicitaq; uiſco uolucris, tuta etiam arbuſta formidat; Docet ergo Gale. curare febres intermittentes ter, aut quater Theriacam exhibendo in potu, ante acceſſionem, ſeruata tamen conuenienti uictus ratione; nam nullum tàm præſtans in medicina remedium eſt, quod præſtare (dicebat iſdemmet

Gal.

Gal. ad Pamphilianum) eam opem, quam pollicetur poſſit, cui uictus ratio aduerſetur, aut non adiumento ſit. Ad menſtruas purgationes, uel ſuppreſſas, uel diminutas ualere exiſtimantur ſcrupuli duo exhibiti cum decocto paſſularum, uel cum aqua mulſa, in qua aut ruta, aut dictamnum ebullierint; Expellunt etiam fętum mortuum, ſi expelli non poſſit ob uirtutis expulctricis imbecillitatem. Valet ad omnem Hydropem, ſed præſertim aquoſam, & ad ictericiam cum decocto Aſari. Anaſarticis dari debet ante prandium, aut ante cęnam diſſoluta cum uncijs x. poſchæ inextinguibilem quoque ſitim ſedat, totumq; corporis habitum ſtabiliorem, & firmiorem reddit, & hoc efficit humiditates ſuperuacaneas, & excrementitias abſumendo, ac naturalem membrorum ſiccitatem reſtituendo. Ad uocem penitus amiſſam, non defectu inſtrumentorum uocalium, ſed ob materias uocis organa humectantes, & ſoliditatem illarum partium irrorantes, ualet Theriaca, uel ore retenta, uel bibita, addita duplici parte dragāti, cum uncijs xx. uel uini mulſi, uel paſſi: dum autem ore detinēda eſt, deglutiatur eo modo, quo medicamēta arteriaca deglutiri ſolēt paulatim, ut in tracheam arteriā deſcēdere ualeat; & ut in pectus fundi poſſit. Iuuat illos, qui ex pectore, uel Thorace ſanguinē projciūt, ſi morbus eſt recens cū poſcha, ſi uerò inueteratus utilius cum decocto ſymphiti; ſumitur mane, uel etiā ueſpere ante cibū tribus horis. Ad renū affectus ualidiſſimū eſt remediū, Ad dolorē uiſcerum, Ad dolores uentrales, Ad Nephreticos, Ad difficulter reſpirantes, qui diſpneam, vel Ortophneam, & aſtma patiuntur; Ad iecoris, & lienis tumores, & ad quamlibet antiquam ægritudinē, duros

tumores

tumores habentibus in dictis membris. Daturque cum aceto mulſo, difficulter ſpirantibus non debilibus, aut delicatis, ſed illis qui validam complexionem habent, cum vncijs 18. aceti ſquillitici: calculo laborantibus cũ decocto petroſelini, aut apij. Si ſint affecti renes, cum aceto mulſo, in leuitatibus inteſtinorum cum decocto ſumach; Epilepticis, ſed emaciatis cum aqua mulſa, epilepeticis nõ emaciatis cum aceto mulſo. Modus exhibendi Theriacã epilepticis ex Galeno hic erat; Iubebat epilepticos ſinapi, & aqua in mane gargarizare, poſtea verſus finem diei Theriacam cum aqua exhibebat, & fatetur admiranda præſtitiſſe in multis epilepticis, & etiam in multis alijs morbis, in quibus ſalus ferè deſperata videbatur. Sed quid dicent hi, qui eius caloris vehementiã timent, ad hoc quod admirandum eſt remediũ ad ſedandos cardiacos affectus dependẽtes à bilis effluxu, ad os ventriculi? iuuat quidem & mirabili modo non bilem euacuando, ſed quia os uentriculi ita corroborat, ita confirmat, vt parum, vel ſaltem minus à bilẽ patiatur: & ferè extinctos narrat Gal. ad auram vitalem reuocaſſe: propter quas præclaras, & excellentes virtutes iubebat illam in honore, & dignitate ſeruandam eſſe, neque in leuibus morbis, ſed tantum in difficillimis arduiſq; propinandã, qui difficulter aliorum remediorum miniſterio curari, aut non, aut vix poſſent. Iure merito igitur ab Andromacho tranquillitas appellatur, ducta ſimilitudine à nautis, qui poſt maris procellas, & tẽpeſtates, pacatis ventis, quiete, & trãquillitate fruuntur; Sic miſeri ægroti poſt varia dolorũ accidentia vſu Theriacæ, quaſi in tranquillũ portũ euecti, pacatis elementorum qualitatibus, exceſſuq; humorum tumultuoſo ſedato,

dato,quietam, & tranquillam vitam producunt. Sanat antiquos capitis dolores, hęmicraneas præſertim; tollit vertigines,audituſq; difficultatẽ, virtutem viſiuã acuit, Venerem quoque excitat. In phræniticis deliria compeſcit ſomnum inducendo; & tunc recentiſſima eſſe debet vnius, vel duorum annorum; Errantia inſomnia phantaſmatum, & Melancholiæ plena, vapores abſumendo ſedat; Ad omnes lumbricos præſertim latos enecandos, & educendos præſtantiſſimum eſt remedium: Valet ad veſicæ vlcera, & ad alia impedimenta eiuſdem veſicæ,quæ vrinam impedire poſſunt:Vẽtriculum valde frigidum,& humidum egregiè calefacit, exſiccat,& ſi quid aliud eſt, quod poſſit ventriculum labe factatum in digeſtione confortare, ac in ſtatum reducere vt perficiat optimã cõcoctionem, eſt ipſa Theriaca: Ad ſanitatem perducit vlcera inteſtinorũ,ideo valet ad Dyſenterias,liẽterias,& ad quamlibet praui fluxus ſpeciem,prẹſertim ad fluxionem Hẹpaticam; Hepar calefaciendo, & corroborando, ac cæteris membris illi inſeruientibus robur addendo.Ijs,qui ex largo ſudore deliquio animi capiuntur, viribuſq; deficiunt (quibus etiã vini exhibitio non prodeſt)Theriaca exhibita efficaciſſimum eſt remedium,quia ſudorem compeſcit,ac vires valentes efficit: Sicuti remedium ad mẽſtrua ſuppreſſa, vel diminuta eſſe diximus, ita cum Galeno plurimum valere ad quãuis hẹmorrhagiam vteri, & prẹſertim hæmorrhoidũ, affirmamus, Memento inquit Galenus ad Piſonem cap. 13.mixtam, variamq; Anthidoti facultatem, quo circa quẹdam diffundit,atque extenuat,vt excernantur, quædam verò, quæ natiui caloris imbecillitate immodice deijciuntur,cohibere ſolet,dum corpo

ribus

ribus robur addit: Pedum, & aliorum articulorum dolores, per excellentiam ſanat, quia fluxionibus originem habent; ſi dolore ad ſtatum peruento exhibeatur; nam ſtatim fluxiones ſedare incipit: humores ad partes delatos, & imbibitos abſumendo, prohibendoq; ne nouæ materiæ ad loca affecta deferantur, robur articulis addendo. Vincit in virtute medicamenta purgantia in abſumendo humorem fixum in articulis, quia Theriaca licet corpus non euacuet, ſicuti medicamenta purgantia, attamen & materiam fluentem retinet, ne fluat ad partes affectas; & humorem jam in parte infixum egregiè abſumit, ac conſumit: immo quandoque in medicamentis purgantibus periculum eſt, ne (dum materia agitatur) præcipitetur in pulmones ſua natura debiles, laxos, & ad recipiendum faciles; in Theriaca autem hoc periculum non reſidet; nam neque humorem præcipitat, nec ſinit humorem ruere in aliquam partem, quæ poſtea detrimentum afferre poſſit. Vnde Galenus mandat, vt valida medicamenta non exhibeantur podagricis, quia dum humor agitatur, illum pulmones recipere poſſunt; coguntur enim neceſſitate reſpirationis moueri; & laxi ſunt, & facillime fluxiones recipiunt, periculumq; imminet, ne ſuffocetur æger; loco medicamentorum purgantium vtantur frequenter Theriaca, quia & humores genitos exſiccat, & abſumit, impeditque ne noua excrementa præſertim pituitoſa regenerentur. Amplius quamplurimi qui in podagra incipiente vſi ſunt Theriaca, immunes a morbo euaſerunt. Ad prauum corporis habitum cachexiam appellatum, potenter auxiliatur, calorem natiuum partium, Iecoris ſci

ſicet, ventriculi, & aliarum excitando, & augendo; diffunditur enim eius virtus per ambitum totius corporis, inutilesq; ſuperfluitates in venis, & in meatibus carnis, aliarumq; partium ſpatijs exſiccat, ac extinguit, corpusq; diſſolutum condenſat, naturamq; ita rectificat, vt commode ſuas naturales operationes obire poſſit. Leproſis quoque ſummum eſſe adiumentum fertur, eò quod totius maſſæ corruptionem prohibet, fluxionesq; retinet; & quia remedium eſt putredini totius corporis, ideò à lepra præſeruat, ac lepram ſanare poteſt. Lepra enim ortum habet à corruptione maſſæ totius ſanguinis, & totius corporis. Membra tenſa, & reſoluta ob magnum frigus perpeſſum ſanat, calefaciendo, & relaxando, eodem modo partibus reſolutis, & paraliticis mirificè auxilio eſt, natiuum calorem excitando, ſpiritusq; reuocando, ſenſum, & motum reſtituendo. Sed inter præcipuas, & ſingulares virtutes huius Anthidoti, illa eſt, quod non ſolum corporis ægritudines, ſed animi quoque Pathos, ac melancholias curet; quia ſæpe Theriacam dando affectus animi prauos, triſtes, & turbulentos ſanamus, lienem, & alia vaſa ab atra bile expurgando, abſumendoq; non ſecus ac venena conſumit: Hac quoque ratione quartanæ conuenientiſſimum eſt remedium, ſed tempeſtiuè, non intempeſtiuè exhibitum: quartana enim fit à bile nigra, quę Theriaca facile diſſoluitur, facile ergo eadem vi curabitur. Modus exhibendi Theriacam ijs, qui quartana laborant, hic eſt, ex Galeno. Quartana ad ſtatum uniuerſalem peruenta (qui ſtatus cognoſci debet à medico doctrina, & iudicio prædito, & eſt cum accidentia remmittuntur, aut omnia, aut potiora,

cumq;

eumq; acceſſiones breuiores, & tolerabiliores habent, & omnia benigniora) prima die vomitu poſt cænam excitato, euacuandi ſunt ægri. Secunda die attemperandus eſt humor quartanarius cum ſucco abſynthij clarificato, vncias tres, vel quatuor exhibendo cum aliqua iuris pulli portione in delicatis, in rudioribus ſine iure; poſtea verò die acceſſionis duabus horis ante paroxiſmum Theriaca in potu exhibenda eſt; ſæpè ſæpius aſſumpta uim habet illam ſanandi. Sed ad aquæ formidinem, quam Hydrophobiam uocant accedo, quæ morbi ſpecies miſerrima eſt, ac horribiliſſimis accidentibus circundata ad hanc frenandam Theriaca unicum eſt remedium: ſed exhiberi debet antequàm uenenum rabiei ad cor deuenerit; nam ad cor peruento ueneno omnia inutiliter tentantur: miſeri enim ęgri inſaniunt, conuulſionibus capiuntur, ardent inextinguibili ſiti, petuntq; aquam ſalutare remedium ad ardorem remittendum, quam tamen allatam timent, fugiunt, & perhorreſcunt: unde morbus hic nomen acquiſiuit ab hoc ſymptomate, nempe ab aquæ formidine, quæ hydrophobia dicitur. Ex ueneni igitur inſigni calore, & ſiccitate calor cordis, & ſpiritus ita igneſcunt, ita ardentes fiunt ut ægri quaſi furore perciti, fugere tentent, ſeſe agitent, ac ſæuiſſimis, & immedicabilibus delirijs tandem conſumpti miſeram uitam finire cogantur. Quæ omnia dependent ex rabie illa uenefica, inimica tum calore ſicciſſimo, tum ſubſtantiæ proprietate temperaturæ cordis, quam pauciſſimis horis depopulatur, ac deſtruit. Quicunque ergo ad curandos demorſos à cane rabido fuerit uocatus, curationem à Galeno deſcriptam lib. de Theriaca ad Piſ. cap. 14. in-

ſtituere debet, partemq́; uulneratam ſcarificando, uenenum extrahat comburendo, & uulnus per. 40. dies ad minus apertum ſeruando, ut ueneni uirus exire poſſit; quo tempore uti Theriaca debemus, ſingulis ſaltem tribus diebus cognita natura ægrotantis, ætate, temporis conſtitutione, cæli ſtatu, & reliquis, locumq́; uulneratum Theriaca inungendo, ut extrahatur, & extinguatur uirus. Quomodo autem cognoſcatur canis rabie detentus ibidem Galenus docet.

In tẽpore peſtilentiæ quod nam utilius, diuiniusq́; remedium reperiri, aut excogitari poteſt? nullũ ſanè. Peſtis enim eſt quaſi ſæuiſſima furens beſtia, quæ dũ uagatur, non ſolũ uicos, rura, ſuburbiaq́; depopulatur, ſed integras ciuitates, prouincias, & regna deuorat: Putredinis enim uis per aerem diffuſa facillimè in quamcunq́; partem ſpargitur, ac communicatur. Cumq́; in aerem ingreſſa eſt putredo, facillime corpora inficiuntur propter neceſſitatem, quam habent illum attrahendi, quia uelimus nolimus, ſi uita frui uolumus, cogimur per reſpirationẽ aerẽ introſumere, ad ſpiritus recreandos, & refocillãdos, cũ tamdiu uiuamus, quamdiu reſpiramus. Ergo aer ille uenenatus attractus, uitalem auram inficit, cordis ſpiritus corrumpit, ac totam corporis molem deſtruit. Ad quam letalem noxam euitandam Galenus duo dat remedia, aeris ſcilicet alterationem, & frequentem Theriacæ uſum. alteratur aer ignibus pluribus, odoramẽtis, floribus ſuauiſſimis, ligno aloæ, ſandalis, myrto, roſis, & ſimilibus: ex alia parte corpus Theriaca redditur ita ualidũ, ita robuſtũ, ut noxam ab aere peſtilẽti inſpirato recipere non poſſit. Aeris alterationem induxit Hip. in peſte illa Aethiopica, quæ in Græciam etiam

graſſabatur: & ſicut ignes aerem, & regionem purificant; ſic Theriaca interius eſt veluti alter ignis, quæ ita ſpiritus, & humores purificat, vt ſi ſumatur ante peſtis infectionem fieri non poſſit, vt peſtis illud corpus alterare, aut euincere valeat. Qui verò peſte ante Theriacæ aſſumptionem correpti fuerint, illam aſſumant; nam ſpiritus iam infectos purificat, putredinemq; contractam corrigendo quam plurimos à morte liberat; nam prohibet, ne aer infectus intrò aſſumptus totam cordis, corporiſq; molem corrumpat: propter quam virtutem diuinam Gal. Piſoni mandauit, vt eam crebrò aſſumeret, ad euitandas prauas aeris conſtitutiones, & aduerſus quaſcunq; cauſas morbificas, ſano etiam eo exiſtente, eo quod conſeruat optimam humorum temperaturam, ſuperfluitates abſumendo, caloremq; natiuum partibus tum reſtituendo, tum conſeruando: quo naturali calore vegete facto, integrè facultates omnes naturales, attrahendo, retinendo, concoquendo, & ſuperflua expellendo, obire poterit. Cum enim naturalis calor viget, opera etiam naturæ, perfectæ, & vegetes fiunt; nam quælibet pars fungitur ſuo officio, uentriculus enim, hepar, & reliqua membra ſuum munus ualidè efficiunt, concoquunt, ſanguinem generant, bilem ſegregant, corq; ſanguinem puriorem ab hepate recipit, illumq; per corpus ſpargens totum ambitum nutrit. Dixi Theriacam ad affectus animi triſtes conferre. Nunc etiam illud addo; cerebrum ita à uaporibus purum reddere, ut intellectus maius lumen, & ingenij acumen recipiat, ſenſuſq; puriores euadant, animaq; ab hac caligine uaporum libera, magis perſpicuè rerum ſpecies apprehendat, intelligat, ac memoretur.

tur. Fateor ego, me illam ſumere in Autumno, & hieme ſaltem ſemel in menſe tanta cum utilitate, ut iudicem hanc eſſe inculpatæ ſanitatis meæ cardinem: Nam huius uirtute quædam ſeminaria non ſolùm hemicraniæ propulſaui, ſed incipientem podagram penitus extinxi; mihiq; capiti, & uentriculo tàm ualidum robur indidit, ut nullam offenſam Dei benignitate, ne leuem quidem in illis perſentiam. Ad tuendam ſanitatem eſt ſupremæ uirtutis, humores prauos & excrementitios abſumendo, ac totam ſtructuram, temperaturamque æqualem & ſymmetricam conſeruando.

Virtus hæc tàm admirabilis, & propè diuina huius Anthidoti ex mixtione multiplicium medicamentorum illuſtrium emergit, quæ generoſas, & potentes uirtutes habent, inter quæ eſt caro uiperina uirtutes eximias in ſe retinens. Sic Anthidotum Mitridatis ante Theriacam adinuentum ob plurima ſimplicia eximiæ uirtutis, quæ ingrediuntur, remedium comperitur ad multos affectus præter naturam, & ad naturam ipſam ſeruandam. Cuius meminit Gal. hiſtoriam de eius inuentore referens, de Mitridate ſcilicet Rege à Pompeo in bello euicto, qui dum mori uellet ne miſerè uiueret, epoto ueneno, uitam non ſolum non finiuit, ſed nullam offenſam à ueneno epoto recepit, & id alia de cauſa non euenit, niſi quia conſueuerat Rex Anthidotum ſuum ſæpe bibere, cuius uirtute corpus Regis ita fuit firmatum, & ita diſpoſitum, ut à ueneno nullam offenſam precipere potuerit. Et cum ui ueneni mori non potuerit uocauit Biſtocum quendam familiarem ſuum, cui imperauit, ut ferro illum occideret, qui ueneni munere gladio functus eſt. Hic ergo Rex Mithridates fuit

ille,

ille, qui Anthidotum compoſuit, quod inuentoris nomen retinuit, ad cuius imitationem Theriaca ab Andromacho ſeniori fuit inuenta, quæ ea præſtare poteſt, quæ ab Anthidoto Mithridatis fieri poſſunt, ſed ſupra Mithridatem magnas alias uirtutes obtinet, tum ratione plurium ſimplicium, quæ in ipſa ingrediuntur, quæ in Mithridato non imponuntur, tum ob carnes uiperarum, quæ in Mithridatica Anthidoto non aſſumuntur. Magnam uim caro uiperarum præbet Theriacæ. Sed intelligẽda eſt cauſa cur potius uiperarum caro, quàm aliorum ſerpentum compoſitionem Theriacæ ingrediatur. Gal. libro de Theriaca ad Piſonem cap. 6. cauſam retulit dicẽs carnẽ uiperarũ alijs ſerpẽtibus eſſe minus tabificã, ideſt corruptiuã. Serpẽtes enim cæteri uim habẽt in carne corrũpẽdi corpora noſtra; & ſi in Theriacã imponerẽtur potius Theriacã corrũperẽt, quàm perficerẽt. Sũt præterea alij Serpẽtes difficiles, ut capiãtur, & cũ periculo uitæ haberi poſsũt, id quod de uiperis nõ contingit, quæ facillime capi poſſunt. Nam ut primũ de Baſiliſco loquar Serpẽte ſubflauo, qui caput triplici apice munitũ geſtat, ut quaſi coronatus uideatur; hũc ſolo uiſu, & ſibilatu homines interficere ferũt: Immo dũ mortuus eſt, ſi quis illũ tãgat, interficit tãgẽtem: Quomodo ergo Theriacã tuto ingredi poteſt? & quomodo caperetur? Sic Serpẽs Dryinus uocatus, qui intra radices quærcuũ uiuit, adeo prauus eſt, ut ſi quis illũ tãgat, illi tota pedũ cutis excidat, immo crus totũ tumidũ euadit, & illi qui curationẽ tentat cutis manuũ excidat, & odorẽ tã prauũ effundit, ut qui illũ interficere tentat, nil in poſterũ olfacere poſſit, propter deprauatũ odoratũ. Quare cũ omni ex parte peſſimũ ſit animal, quo-

modo

modo ad Theriacam conficiendam recipi poteſt? Sic Hæmorrhous letaliſſimus eſt, ac ſuo morſu cogit homines mori per ſanguinis effuſionem factam à quacunq; corporis parte, unde Hæmorrhous dicitur quaſi ſanguinem fundens. Qui à Dypſade feriuntur inextinguibili ſiti moriuntur incenſi ardentiſſimo calore. Aconitus ueluti ſagitta uibrans fertur in homines, illoſque enecat. Pthyas artificioſè paulatim ſerpit, acceditq; ad hominē, uenenumq; uomitu fundens, homines perimit. Aſpidū genera omnia tabifica ſunt, Chærſea, Chælidonia, & Pthyas. Vno horum ferunt Cleopatram ſibi mortem conſciuiſſe, ne capta in bello à Cæſare Auguſto in Thiumphum hoſtium duceretur. Illam enim ſeruabat Auguſtus, ob pulchritudinem ſingularem: quæ tamen maluit Regina mori, quā captiua ad hoſtium gloriam uiuere. Miniſterio igitur duarum ancillarum fidelium aſpidem ficubus, & uuis coopertum ad ſe deferri clàm curauit, ne cuſtodes id reſcirent; cuius morſus facto experimento in ancillis, quæ ſponte amore ſuæ dominæ mori uoluerunt, ſibi ipſi uulnus ex morſu Iaſpidis parauit, quod uenenum per artus expanſum, ac ad cor peruentum illam interfecit, maluitq; ſic mori, quam in hoſtium Triumphum duci: Alij dicunt uas ueneni clàm illi allatū fuiſſe, morſuq; ſibi prius uulnus inflixiſſe, uenenumq; in plagam infudiſſe, ac ita ſe interfeciſſe. Sed qui digredior in re notiſſima Viro Illuſtriſſimo qui nō minus hiſtorias, quàm ſcientias callet? Ex his igitur patet omnes alios ſerpentes periculoſos eſſe, uimq; tabificam, & mortiferam in ſe continere, ut & cùm periculo capiantur; & ſi Theriacam ingrederentur, potius detrimentum, & perniciem inferrent, quàm iuuamentū.

Vipera

Vipera quoque venenum, & vim tabificam obtinet, ſed ſolum in capite, & in cauda. Scinditur ergo caput & cauda, pernicioſiſſimum enim eſt caput viperarum: habet caput facultatem illam generandi venena, quam habent teſtes generandi ſemen, & mammæ lac. De Vipera refert Gal. Plin. & Nicander hiſtoriam; aiunt enim ipſam os aperire, vt maris genituram excipiat, eaq; excepta caput illius amputare, huncq; eſſe illarum prauum concubitus modum. deinde verò fætus ex eo prognatos ſemine, naturali quadam vltione matris vterum erodere, atque in lucem prodire, atque ita patris vlciſcendi cauſa, matrem enecare. Sed hanc potius fabulam eſſe, quam hiſtoriam opinatur Albertus, egoq; illius opinioni magis adhæreo. Ferrantes Imperator de hac re experimentum fecit, referente hoc Iulio Cæſare Capaccio; clauſit enim viperas, ac diligenter partum inſpexit, nec vidit ventrem dilaniari à fętu, ſed modò vnum, modò duos fętus peperiſſe. Abſcinditur ergo etiam cauda, quia ipſa quoque vim veneficam continet, motu enim ſuo plurimum excrementi in ſe congeſſit. Neq; mirum cuiquam videri debet, carnem mediam inter caudam, & caput eſſe optimam ad Theriacam conficiendam, extremitates autem eſſe nocuas, quia experientia comprobatur, multas alias animalium partes habere quaſdam particulares proprietates quæ toti animali non inſunt, neque alijs partibus. infinitus propè eſt numerus horum, & Galenus ipſe plurima dat exempla, quorum enarrare aliqua non pigebit, quia ſcitu digna ſunt, vt ad epilepſiam valet cerebrum cameli exſiccatum, & in puluerem redactum cum aceto ſumptum. Sic & cerebrum Muſtellæ idem præſtat. Sic hirundinis cerebrum ſuffuſionem ſanat illi-

 tum.

tum. Caput muris combuſtum cum melle Alopetiam ſanat;Alopetia verò eſt defluuium capillorum in aliqua parte ad formam circuli.Caput milui depilatum,& combuſtum pulverizatum,quantum tribus digitis capere poſſumus, cum aqua communi valet ad podagram ſanandam. Ramenta cornu ceruini cum aqua potata ſanguinis effluxum ſanant; hoc idem præſtat os coxæ tauri cõbuſtum, & pulverizatum. Valet etiam ad firmandos vacillantes dentes. Idem præſtat, ſcilicet ad dentes, os tali bouis,& cum lacte bibitum lumbricos occidit,ac illos extrahit; cum melle autem lienes duros liquefacit, ac diſſoluit, facieiq; vitiligines tollit. Ad Hydropem quid pręſtantius quam fimus bouis exſiccatus, & combuſtus exhibetur ad trium coclearium menſuram? Potentiſſimum quoque eſt remedium ad lapidem veſicæ frangendum ſtercus muris in potu ſumptum, & idem ad alopetiam valet cum aceto illitum. Spolia viperæ pulverizata ſuper caput fuſa copioſos capillos renaſci faciunt,& alopetiam ſanant. Ad aurium dolorem valet Scarabeus oleo coctus, & auribus inſtillatus; Allauda (mirabile remedium) cocta, ſeu aſſata, & comeſta dolores colicos quaſi per incantamentum tollit. Hæc & plura alia à Galeno, & à pluribus illuſtribus viris enarrantur. quæ demonſtrant ineſſe animalibus partes quaſdam,quæ particulares proprietates, & virtutes habeant, quæ in toto animalis corpore non exiſtunt: quæ cum illud à proprietate quadam occulta obtineant ſolaq; experientia ita eſſe comprobatum ſit, fidem faciunt poſſe fieri,vt caro media viperæ virtutem particularem habeat ad plurimos morbos, ad quos non ſolum caput, & cauda opem non præſtent ſed necem potius inducant: quod in animalibus,

malibus,& animantibus diuerſæ ſint partium naturæ, in multis ita perſpicuum eſt, vt nulla probatione egere videatur. Ineſt enim rebus omnibus Aeterogeneis vis quædam diuerſa in diuerſis partibus, quæ cum à forma mixti dependeat, & ab eſſentiali quadam natura indiuiduali, quæ à nullo alio modo cognoſcitur, quam per experientiam hinc emergunt ſympathiæ rerum, & Antipathiæ vt in cicuta, quæ ſturnos alit, nobis autem venenum exiſtit; elleborus albus coturnicibus cibus eſt, nobis venenum. Quædam reperiuntur, quæ ſunt particulari membro inimica, vt lepus marinus pulmonibus, quos exulcerat, Cantharides veſicæ, quæ ſimiliter illam corrodunt, quæ operatio ab antipathia facultatis, & obiecti dependet. Sympathia quoque in rebus reperitur, vt Epati affecto eupatorium, quod agriminium vocant, auxiliatur. Lyeni opitulatur glans vnguentaria, Renibus ſaxifragia, & betonica. Concludo igitur Viperarum Carnem eſſe optimam ad Theriacam conficiendam à proprietate ſubſtantiæ, quæ experientia comprobata eſt; capita uerò, & caudas uenenoſam qualitatem obtinere, & letaliſſima eſſe, quod itidem experientia eſt comprobatum; ideò illa eligitur, hæc reijciuntur. Modum componendi Theriacam hic non refero, quia ad rem à me intentam parum conferre uidetur, quæ fuit enarrandi eximias eius uirtutes, non autem docendi modum compoſitionis; modus compoſitionis uideri poteſt in multis anthidotarijs, ſed præſertim apud Gal. lib. de Theriaca ad Pamphilianum.

Cognitis ergo uirtutibus Theriacæ neceſſario cognoſcenda quoque eſt eius recta adminiſtratio. quæ ſcilicet quantitas ſumi debet, quo tempore anni, qua ætate, nam

quantum ad ea quæ copulari ſolent cum Theriaca prò eius diſſolutione dictum abunde eſt: vbi ſtatutum fuit cum aquis, vel decoctionibus morbo proportionatis ſumendam eſſe: vel gratia euitandi inſuauitatem ſumatur in bolo, & ſtatim ſuperbibatur aqua, vel aliud.

Naturæ ergo validiores drachmam vnam ſumere poſſunt, ſicuti eſt natura viri Illuſtriſſimi quæ temperatè calida eſt, & humida ſecundum habitum totius. Laudoq; vt in bolo, potius quam diſſolutam accipiat illam, ad euitandam guſtus inſuauitatem, quia valde amara, & aromatica eſt, aurifolijs ergo, vel nebula inuoluta commodius in bolo ſumitur: poſt cuius aſſumptionem ſuperbibere poteſt, vel aliquod decoctum, ſiue viæ arteticæ, ſiue betonicæ; ſiue aliquam ſtillatitiam aquam ſibi proportionatam, ut eſſet eiuſdem iuæ, uel betonicæ, uel quod magis approbo, ut ego conſueui modicum uini odorati non ualde generoſi ſiue albi, ſiue nigri: cuius uini auxilio uirtus anthidoti celerrime actuatur, ac in totum corpus diffunditur: In mediocribus naturis ad fabæ ægyptiacæ magnitudinem ſumi debet, quæ ſcrupulos duos ponderat, nam faba ęgyptiaca continet obolos. 4. ſcrupulus autem importat obolos duos, ita quod quatuor oboli ſint duo ſcrupuli. Si ſumitur cauſa renum capi debet cum aqua ſaxifragiæ, uel betonicæ; ſi cauſa uteri cum aqua capilli ueneris, uel matricariæ, & ſic de alijs: Indifferenter tamen ſumi poteſt cum aqua cocta communi. Hyeme ſumi debet, nam tempus eſt magis idoneum, quam cætera tempora, poſtea Autumno, deinde uere, ultimo etiam æſtate ſumi poteſt, urgente tamē neceſſitate, & nō ſecus; immo in æſtate uitanda eſt, quia Theriaca ſolet totum habitum corporis exſiccare, calefacere, ac uincere, iam

in

in æſtate, & ambiens totum corporis habitum uincit, calefacit, & exſiccat, uirtus facillime diſſoluitur, ac totum corpus facillime inflammatur, unde eius uſus timendus eſt, ſi tamen neceſſitas cogeret, uel cauſa ueneni, uel lumbricorum, uel irruentis ſyncopis cum uitæ diſcrimine, nō ſolum non eſt timendus eius uſus, ſed intrepidè illam exhibere debemus; nam melius eſt ægrotantes uiuos ſeruare cum aliqua læſione, quæ corrigibilis ſit, quam permittere eos interire ob timorem leuioris damni conſequuturi. Cauendum eſt ab ea circa caniculares dies. Si aeris conſtitutio ſequatur anni tempus: ſed ſi fortè, ut quandoq; contingit, æſtate aer temperatus eſſet, uel flaret aliqua ſuauis aura, quæ ſolis radios temperaret, tuto etiam Theriacam exhibere poſſemus, ſed correctam, uel ſaccaro roſato, uel aquis frigidis ſtillatitijs. Calidioribus ergo temperaturis, uel numquam, uel raròneque in multa quantitate eſt exhibenda; eò magis cum caliditati coniuncta eſt ſiccitas. neque ualde conuenit in florenti ætate. Puerorum temperaturis ualde contraria eſt, nam diſſoluit illorum corpora, natiuumq; calorem facile extinguit, cum ſuperet, ac uincat puerorum uim: hoc tamen ita intelligatur; ut ex conſueto ſumi non debeat, nec aſſueſcere debent pueri Theriacam aſſumere, ſeipſos præſeruandi gratia; ſed curationis neceſſitate, ubi uel lumbrici, uel aliqua uenenoſa qualitas, aut cor, aut aliam partem præcipuam tentauerit, poterimus tuto (dummodo non adſit inflammatio, aut ardens febris) Theriacam exhibere in minima tamen quantitate pro ratione ætatis, ac fluxibilitatis caloris naturalis humoriſq; radicalis. Aetas, quę inclinare incęperit, & pręſertim ſenectus eſt verum tempus, & idoneum, quo Theriaca vti vnuſquiſque poteſt,

immo à.40. anno vſque ad vltimam ſenectam adeò ſalutare remedium eſt, vt nullum aliud ſalubrius, & conuenientius excogitari poſſit: in valde ſenibus, in quibus vis caloris tabefieri incępit, ad illum accendendum, & viuificandum inſigne eſt remedium. Hæ igitur ſunt vir Illuſtriſſime & Reuerendiſſime, excellentes, & præclaræ Theriacæ dotes à me in compendium deſcriptæ; Habes ſimul quo modo ſumi debeat, quo tempore anni, qua ætate, quibus temperaturis, quibus ætatibus, quam quantitatem, exhiberi conueniat. Habes præterea præceptum indelebile, quod oportet, vel corpus eſſe ante expurgatum, vel ſaltem per duos dies Dieta inanitum, ac ita diſpoſitum, vt dum ſumenda eſt, ſtomachus ſit & ieiunus, & vacuus. Abſolute non eſt neceſſaria purgatio, nam ex Gal. Romani illam accipiebant præmiſſa ſolum recta viuendi ratione per. 3. dies ex Galeni præcepto. Vnde errant, qui credunt Theriacam ſumi non debere, niſi prius corpus fuerit medicamentis, vel ſanguinis miſſione euacuatum: nam ieiuno exiſtente ſtomacho, vacuo, & inanito, tutiſſime ſumi poteſt: & experientia frequentiſſima & in me ipſo, & in amicis meis beneualentibus expertus ſum Theriacam non ſolum nullum detrimentum attuliſſe, ſed virtutes omnes viuificaſſe.

Propter has igitur cauſas non potui ſummis laudibus illam non ornare, coactuſq; fui ob inſignem amorem & reuerentiam, quibus te proſequor illius vſum tibi Illuſtriſſimo & Sapientiſſimo viro ſummopere laudare, tum ad reliquias Catharri abſumendas, tum etiam ad totum corpus ita confirmandum, vt iniurijs tum aeris, tum aliarum rerum contrariarum commodius, & vali-

dius

dius reſiſtere poſſis, vt tranquilla Senectute fruaris, vtq́; ſummam prudentiam ac inuiolabilem iuſtitiam, quæ ſunt animi. Tui diuina munera cum mentis, ac corporis pace, ad mortalium vtilitatem, & ad Dei gloriam exercere valeas.

HORATII GVARGVANTI SONCINENSIS MEDICI AC PHILOSOPHI,

DE MECHIOACANO, SEV RHEVINDO.

OPVSC. II.

INTER cætera ſimplicia, quæ à Deo opt. Max. naturæ fuerunt donata ad humani generis ſalutem tuẽdam, fuit radix quædam, quæ mechioacanum appellatur omnes illas in ſe conditiones continens, quæ neceſſariæ videntur eſſe ad perfectionem tuti purgantis medicamenti: quæ autem ſunt? hæ, vt nullam venenoſam qualitatem ſapiat, vt corpora non agitet vehementer; vt præter uenenoſam qualitatem quam habere non debet, non habeat præterea ullam uim alterandi corpora noſtra, ut copioſe humores tum particulares, tum communes tam in primis uijs latis, quam in

penitioribus euacuet, ut uentriculum, Hepar, & alias partes poſt expurgationem corroboret, ut ſine guſtus, aut olfactus moleſtia ſumi poſſit; ut cuique ſexui, cuique ætati, cuiq; naturę temperamento, in quacunq; aeris conſtitutione, in quocunq; ferè cæli aſpectu, ac denique ut fere in quocũque morbo tuto exhiberi poſſit. Talis eſt Mechioacani radix. Excellens enim eſt huius radicis operatio, expedita, benigna, ac adeo tuta in quocunque corpore, ut nullum aliud medicamentum, nullum aliud ſimplex à natura hactenus meo iudicio productum fuerit, quod tam Illuſtres habeat dotes. Nulla enim Symptomata mouet, non angorem ventriculi, non vomitum, non nauſeam, non vllam aliam moleſtiam inducit, ori, palato, & uentriculo non eſt ingrata. Sed quod præcipuum dignitatis, & glorię locum illi præbet, eſt, quod in ipſa uiget quędam proprietas, ut eius operatio ſiſtatur, cum cibus ſumitur, ita ut in ſumentis arbitrio ſtet quantitas euacuationis, nã ſi copioſe euacuauerit, ſumpto uel cibo, uel etiam in quibuſdam naturis ſolo iure carnis, purgatio aut ex toto ceſſat, aut ſaltem ita cohibetur, ut effatu digna exinde non excernantur. Quare uenæ ſectio huius uirtutem non præcedit, quod tutior ſit medicamentis, quia ſiſti poſſit, nam & Mechioacani operatio ſiſti, & terminari ex arbitrio poteſt, id quod in nullo alio medicamẽto uiſum fuit, immo multą medicamenta ope cibi, & potus uim recipiunt. Hoc quoque admiratione dignum uidetur, quod ſi hæc radix in puluere ſumatur cum edulijs, aut cum iure, edulia, & ius eius non impediunt operationem, modo ſimul ſumantur, ſed ſi poſt tres, uel. 4. horas poſt aſſumptum puluerem cibus ſumatur, operatio ulterius, aut non progreditur, aut ſaltem debilis fit, & modica.

Vt ergo in recenſenda eius hiſtoria ordini inhæream, uidendum eſt, quæ herba ſit hæc, ubi naſcatur, quæ ſit eius forma, quæ complexio, quæ quantitas ſumi debeat, quomodo pręparetur, quos humores expurget, & tandem quibus affectibus noſtri corporis auxilio ſit. In noua Hiſpania, quæ India maris Oceani nuncupatur, eſt prouincia Mechioacani, quæ Metropolim habet ciuitatem Chincicilam proprio nomine appellatam, cõmuni uerò idem obtinet nomen, nempè Mechioacanum; argenti feraciſſima, abundat quoque auro, cuius mineræ chacatetę uocantur. Habitatores illius prouincię ſunt elegantiores, ac pulchriores quàm in alijs Indię regionibus, aſpectumq; amabiliorem præſeferunt. Magis etiam ſani ſunt, & præter aurum, & argentum tritico abundant, venationibus, fructibus, piſcibus, fontanis aquis, & quocunque delitiarum genere. Plurima habet ſimplicia, quæ ad vitæ cuſtodiam, & ad morbos propellendos ſunt valde ſalutaria. Hæc Mechioacani ciuitas ſita eſt prope quendam locum, qui formam dimidiæ lunæ referre videtur, quiq; inſigni piſcium copia abundat. Ad hanc Vrbem nobiliſſimum non ſolum totius Indiæ, ſed etiam externarum prouinciarum, & regionum plurimi mercatores concurrunt, ob auri, & argenti copiam, quam effodiunt. Sunt enim illis abundantiores mineræ auri, & argenti, quam Brixienſibus fodinæ ferri, illucq; concurrunt, vt inde in alias regiones argentum, aurumq; importent. In hac ergo prouincia, inter cætera ſimplicia præſtantiſſima naſcitur herba, quæ radicem habet Mechioacanum appellatum, quam referunt plurimam ſimilitudinem habere cum noſtra Brionia, brioniam tamen non eſſe manifeſtum eſt: nam ſcribunt folia diuerſa habere, & radi-

cem brioniæ ad guſtum mordacem eſſe,& quò magis ex ſiccetur acriorem,& mordentiorem euadere: Mechioacani autem radicem nullum guſtui ſenſum præbere,herbamq; eſſe valde viridem, cum viriditate obſcura, inter cannas orientem, & ſuper cannas ſerpentem, folia lata habentem,rotunda, ad magnitudinem expanſæ, apertæ manus, cum paruo cuſpide, foliaq; eſſe neruulis referta verſus caudicem,quem ſubtilem eſſe tradunt, ac ferè ſine humiditate, coloris ſpadici uulgò leonati clari appellati,racemos producere,qui ſimilitudinem exſiccatorum coriandrorum habent,ramosq; multos producere; qui ſi cui rei adhæreant, facilè ſerpant, & illi rei adnectantur. atque implicentur. Hæc ex aliorum traditis refero, nam ego nullam aliam partem huius ſimplicis vidi, quam radicem albam in fruſta ſectam, ponderoſam,odore,& ſapore inſipidam, quæ Venetijs aliquibus temporibus ſatis recens habetur: & inter cætera fruſta electiſſima quæ ad manus meas peruenerunt (quorum virtutem in te viro Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo ter, & in alijs ſubiectis nobiliſſimis experientiam comprobatam vidimus) quædam fuerunt quæ nobis largitus eſt egregius, & munificus D. Carolus Elmanus nobilis Flander uir ſingulari animi & corporis pulchritudine refulgens, & morum ſuauitate ita amabilis, ut uniuerſam hanc ciuitatem ad ſui amorem beneuolentiæ ui compulerit, qui ex Hiſpania non lucrifaciendi, ſed dono dandi gratia amicis ſuis,& egenis ægrotantibus huc adferendam curat. Nec alia, quæ hac ſit recentior haberi poteſt, quia quò celerius ex Indijs in Hiſpaniam, & ex Hiſpania Ianuam defertur,ita Ianua Venetias portatur, & habet omnes conditiones laudabiles,quia nec carioſa eſt,nec nigra, ſed al-

ba, & ponderoſa, recensq; conſpicitur, exteriusq; eſt pallida, commanſa nullùm ſaporem reddit, ſed eſt inſipida, nullum odorem redolet, quæ ſigna ſunt ueræ radicis Mechioacani, quæ reſpondent notis relatis à Nicolao Monardes, illasq; efficit operationes in purgatione, quas ipſe de hac re ſcriptas reliquit. Illud tamen prætereundum non eſt, quod dum deglutitur, uel ſimplex, uel in iure uel in uino quandam leuem eroſionem, ſeu aſperitatem relinquit in gutture: quæ aliquam moleſtiam ſumentibus exhibet, quę tamen non ſentitur, ſi aliquid ſuperbibatur, ſiue ſit parum iuris, aut uini, aut alterius grati liquoris. Non in omnibus tamen hoc euenire ſolet ſpeciebus Mechioacani, ſed ſolum in quibuſdam, quę fortaſſe aut ex ſitu, aut ex nutritione, aut ex nimia maturitate illam uim leuem erodendi acquiſiuerunt. Menſe octobris colligitur, folia numquam amittit, nam dum labi incipiũt alia germinant, & uireſcunt.

Radix calida eſt in primo gradu, ſicca in 2. aereas partes habens, ſubtiles, cum aliqua ſtipticitate leui tamẽ, quâ poſt expurgationem membra corroborat, quo recentior eſt, eo etiam potentior. Conſeruatur diutius maiori cum uirtute integra, quã puluerizata: Cõſeruatur more rhabarbari uel in tela cerata uel in milio, uel in hordeo. In India uſque in Perù, in noua Hiſpania, ac in ueteri, in Germania, Flandria, Anglia, pluribusq; Italię Ciuitatibus, ut Ianuę utuntur hac radice Mechioacani tanquam electiſſimo Rhabarbaro, quia Medicina eſt tutiſſima, qua multi purgantur, ſine aſſiſtentia, & ſine Medicorum conſilio. Monardes uir multę experientię refert medicum Indum plurima feciſſe huius medicamenti pericula, cum feliciſſimo euentu, ſanaſſeq; non ſolum Reuerendum Patrem

custodem

cũſtodem Fratrum Diui Franciſci ab ęgritudine rebelli, & chronica cum uino exhibita, ſed plurimos alios religioſos fratres, alioſq; ægrotantes ad ſanitatem perduxiſſe: propter quæ experimenta uſque in Alexicum delata fuit fama, quę cauſa fuit, ut multi deſeruerint uſum Rheubarbari, uice cuius ſumebant radicem hanc Mechioacanici, quã Rheũ Indũ appellabãt: Eius uirtutis fama creuit propter multas excellẽtias, inter quas illa ultimum locum nõ tenet, quod qui purgantur hac radice, non ſolum non ſentiunt debilitatem, ſed fortiores euadunt poſt purgationẽ; alia medicamenta egent correctione, uel ob tardam operationem, uel ob aliquam noxam, quam ferre ſoleant, uel uentriculo, uel alijs partibus, uel quod flatus inducunt, hęc autem radix nullo eget uehiculo, nullo auxilio, nulla correctione. Hoc ſolum illi eſt conueniens, quod facilius cum uino operatur. Puerulis tenellis ſine ulla ſuſpitione exhiberi tutiſſime poteſt: & ego in duobus nobiliſſimis puerulis uſus ſum Mechioacano, qui ferè deplorati erant, & tamen ob hoc conuenienter expurgati reuiuiſcere cæperunt, ac ſanitatem tandem conſecuti ſunt: quorum unus nõdum. 18. menſem præterierat, alter uerò 22. menſem agebat: Ambo à febri duplici 3. continua per eſſentiam notha per admiſtionem plurimæ pituitæ conſtipati, & corrupti, ita ut emaciatiſſimi eſſent. Sumitur ſine ulla cunctatione: nam nullum de ſe ſenſum præbet. Conuenit in omni ętate ſenibus etiam decrepitis, modo cum iudicio medici dexteritatem habentis exhibeatur. Sunt nonnulli, qui adeò os ſupernum & infernum uentriculi ſenſibile habent, odoratumq; tàm lęſioni prauorum odorum obnoxium, ut cum medicamenta uix olfaciunt, ne dicam guſtent, ferè in animi deliquium incidant: in

iĳs ergo naturis nec inueniri, nec excogitari poſſe arbitror medicamentum ullum magis accomodatum quam ſit Mechioacani radix; Nam ſenſibus guſtus, & olfactus nullam moleſtiam affert. Monardes narrat ſe exhibuiſſe Mechioacanum ſeni octoagenario feliciſſimo ſucceſſu, nec ullam uirtutis iacturam feciſſe, nec noxam ne qui dem leuem perpeſſum eſſe. Quantitas huius medicamenti maior, uel minor eſſe debet pro robore patientis, nam pro diuerſitate naturę temperamenti, ętatiſq; & aliorum, diuerſa etiam quantitas ſumi debet. Ad ſummum dantur dragmæ tres, ad minus dragma ſemis in infantibus. Ex conſueto doſis eſt circa ʒ. ij. plus, minuſue pro ſubiecti diuerſitate. Hora ſumendi eſt tempus matutinum in aurora, ualde ſcilicet mane, cogente neceſſitate quacunque hora ſumi poteſt, dummodo Ventriculus ſit ieiunus, & inanitus. Dormire debet (ſi poteſt) patiens per horam ab aſſumpto Mechioacano: nam facilius, & citius ad actum reducetur, facilius etiam retinetur. hora tranſacta non eſt amplius dormiendum, in multis ſpatio 3. horarum perficit ſuam operationem, prę ſertim in humidis, & calidis naturis, & delicatis, citò enim operatur. Comedere non debet, donec abſolutam non peregerit purgationem, quia hanc habet proprietatem, ut cum cibus accipitur, uirtus medicamenti obtundatur, ac ceſſet ſtatim eius operatio. Quicunq; ergo ſumpſerit hanc radicem cum fuerit ex uoto purgatus, comedere debebit, nam ulterius non progredietur euacuatio. Si uerò tarda fuerit egeſtio, tardè etiam edere oportebit. Quod ſi aut ob naturę proprietatem, aut ob obſoletam medicamenti uim, aut ob aliquam illarum cauſarum à Gal. relatarum lib. quos, & quando purgare oportet, Radix hęc ſuam

non prǽſtiterit operationem, & iam ſex horarum ſpatiū pertranſierit ab aſſumpto Mechioacano, non eſt amplius differenda cibandi hora, nam proculdubio nil aliud efficiet: quia eius actio conſiſtit in illa ui quę in ſuperficie expanditur: reliquum uerò potius terreſtre, & ſtipticum eſt, quo corroborantur membra. Quod ſi purgando pro gredietur, nihil profectò quod effatu dignum ſit, euacuabitur. Quam ob rem hęc eſt ratio qua in ſecuritate ęquatur miſſioni ſanguinis. Nam ſicut aperta uena poſſumus quam nobis libet ſanguinis quantitatem educere, ſic exhibito medicamento Mechioacani pro noſtro arbitrio purgationem terminare, ac finire poſſumus. Interdiu ergo ſi purgatio non fuerit ſecundum noſtra optata, neque edendum, neque bibendum, neque dormiendum, ſaltem donec ſex non pertranſierunt horę ab aſſumpto, ut dixi medicamento. Die ſequenti ante prandium tribus horis accipiant parum iuris, vel pulli, vel vituli. Eſt medicamentum adeo blandum, & adeò tutum, ut iterum, atq; iterum ſumi poſſit nullo non ſolum cum diſcrimine uitę, ſed nulla cum iactura, aut lęſione naturæ. Si ergo ægritudines prauæ ſint, ac peruicaces, ſæpe medicamentum ſumi debet, nam quod ſemel, aut bis conſequi non potuerimus, reiterato remedio facilius obtinebimus. Modus ſumendi diuerſus eſſe poteſt. Verior, & commodior eſt, ſi cum vino ſumatur. in puluerem ergo non valde tenuem redigi debent. ℥. ij. radicis Mechioacani, ac per noctem in vncijs quatuor vini albi optimi infundantur. mane verò in aurora bibatur; non colatur, quia euaneſcit virtus; immo craſſiuſculo modo in puluerem redigi debet, & non ſolum non eſt lęuiganda, ſed neque per ſecerniculum mittenda. Hic primus eſt verus, & legitimus modus

ſumendi hanc radicem, quia vinum potentiorem reddit eius operationem. Sumitur etiam commode, & cũ vtilitate cum iure pulli, aut vituli, vel cum quacunq; aqua proportionata ægritudini, vel cum aqua, in qua bullierint, uel Coriandrum, vel aniſum, cinnamomum, & ſimilia, uel cum aqua carnis ſtillatitia. Qui vinum purum bibere nõ ſunt aſſueti, poterunt diluere cum aquis boraginis, acetoſæ, endiuiæ, cicoreæ, betonicæ, agrimoniæ, abſinthij, vel alterius virtutis pro rei, & naturę morbi exigentia.

In morbis valde calidis à Mechiocano abſtinẽdum eſt; ſed ſi fortaſſe ſperaremus maiorem vtilitatem ex eius aſſumptione, quam detrimentum, eò magis cum damnum quod infertur corrigi poſſit, intrepide vti poterimus. In febribus ergò ardentibus vſque ad ſtatum vniuerſalem non conuenit, neq; in alijs bilioſis, quæ continuitatem habeant, niſi morbus fuerit concoctus. In principio ergo febrium, augmento, & uigore exhiberi non debet, niſi fortaſſe neceſſitas cogeret in caſu alicuius ægrotantis, qui nulla alia uia purgari poſſet, nam tunc commodè, & tuto infuſum, uel in ſero Caprino, vel aqua hordei, uel endiuiæ, uel lactucæ, uel alterius, quæ vim refrigerãdi, & humectandi habeat, exhiberi poteſt. Nam aquę frigiditas, & humiditas valens, & ſufficiens eſt ad obtundendam caliditatem illam leuem, & ſiccitatem Mechioacani. Hoc mihi in pueris ſæpe euenit, qui difficulter medicamenta cuiuſcunq; generis ſumere volunt. Si contingat ægrotantes egere purgatione, qui febres, aut ſpurias, aut compoſitas, aut erraticas habeãt, in horum morborum anguſtijs nullum præſtantius, aut diuinius medicamentum excogitari poteſt: Regula ergo

F ſit

ſit hęc. Incipientibus febribus pręſertim bilioſis, & continuis caliditatem magnam, uel internam, uel externam habẽtibus ad Mechioacani uſum ſtatim deueniendum non eſt. Quod ſi eo uti fuerimus coacti, dandum eſt cum aquis frigidis, ubi ſcilicet ſperamus plus poſſe euacuationem ad iuuandum, quam qualitatem illam ſiccam, & calidam ad lædendum.

Sed antequam referam particulares morbos, quos ſanare ego experiẽtia, & aliorum relatione edoctus fui, modũ abſoluo, quo ſumi poſſit. Ad puerulos decipiendos dari poteſt, ſi ferat occaſio, in quocunq; conueniẽti potu, aut edulio. Cogente neceſſitate, in ferculis braſſicę, betę, aut alijs edulijs ſimilibus mixtã puluerẽ exhibui pueris cũ optato fine: Quare cum ouis ſorbilibus, cũ panatella, cum pane iure imbibito, cum quocunque ferculo ſumi poteſt, & cũ quacunq; aqua ſtillatitia longa appellata. His verò, qui medicamẽta ſumũt, ſine difficultate exhibeatur cũ cõſe ruis violarũ, boraginis, roſarum, acetoſę, cicoreæ, cũ ſirupis violato, roſato, & alijs ſimilibus, cum iulapijs etiam quibuſcunque ſumitur. Poſſunt etiam ex eo formari pilulę, aut boli, cum aliqua portione alterius electuarij morbo conuenientis, & tũc copioſiorem efficies euacuationem, pręſertim ſi coniungatur cum elect. de ſucco Ros. Suauiſſima fit potio ex hoc puluere, & infuſione ſolutiua violarum, ita vt nihil in medica arte iocũdius ore ſumi poſſit; & nobilẽ præſtat purgationẽ. ut Rec. Pulueris Mech. drachmas duas, infuſionis violarũ ſol. vncias tres vel 4. fiat infuſio p noctẽ, & fiat potio. Poſsũt fieri rotulę cõfectiones, morſelli, panis marciatus, & tãdẽ quocunq; modo ad quãlibet formam, & cum quocunque medicamento, aut nutrimento

mento

mento commiſceri poteſt. Si quis puluerem in pilulas redactam magis amaret ex dragmis duabus effo rmari po terunt. 12. paruæ pilulæ (dico duodecim, quia quò minores ſunt, eò facilius à uentriculo uincuntur, & ad actũ reducuntur) & liquor quilibet ad maſſam formandam ualere poteſt, uinum optimum eſt, mel. roſ. quoduis, & ſic de ſingulis. Melior modus ſumendi pro delicatis eſt, ut diximus cum uino, uel cum iure pulli. Illud in huius medicamenti adminiſtratione præſupponendum eſt, & in alijs omnibus medicinæ remedijs ſeruandum propoſuit Hippocrates, & cum recta ratione, & debito tẽpore uſurpentur, cum Medici dexteritate, & iudicio quia ſi aliter fit, non ſolum hoc, ſed quoduis remedium non ſolum ægrotantibus incommodat, ſed moleſtiæ, perniciei, & quandoque mortis cauſa exiſtit: Occaſio autem quando ſunt exhibenda, eſt tempus agendi, tempus autem agendi eſt ea pars horæ, in qua æger magis eget eo auxilio, ut neque ante, neque poſt differendum ſit, niſi cum ægroti, aut diſcrimine aut damno, Quod intelligere non erit difficile ſi medicorum operationes nautis comparentur, qui niſi tempore debito dent uela uentis, ſuaſque remigationes, naues in ſcopulos rumpunt, ac naufragium faciũt. Duæ enim remigationes, immo dimidia remigatio extra tempus nauim aliquando naufragant, ſic tarda, nec à periculis, nec à uentorum furore illam eripit. Quod ſi adeò imperitus ſit rector nauis, ut cęli aſpectum neſciat, ut ſeptentrionem non cognoſcat, contrariumq; iter paret, is non ſolum in optatum portum non perueniet, ſed aut periclitabitur, undiſq; ſubmergetur, aut poſt longam, aut erraticam nauigationem, poſt uarias fluctuationes, extremis anguſtijs circumuectus, ſæpe ſciſſis uelis, amiſſo clauo, uix

ad patrium unde diſceſſerit, reuertetur littus; Sic medicus niſi tempore debito ferente occaſione remedia ferat, periculum eſt, ne ægrotantem, aut omnino perdat, aut ſaltem ne ægritudinem cronicam erraticamq́; efficiat, & in multa diſcrimina illum deducat. Sunt nonnulli qui ferè totum negotium naturæ committunt, id quod mihi ualde laudabile uiſum eſt, ſed ſolum illud faciendum arbitror, ubi certam ſpem habemus naturam ex ſe poſſe morbum ſuperare: Sed ſi periculum ſit, ne ob tardam operationem natura ab humoribus, & à mo rbo cladem patiatur aut ſegnis, aut inſcij medici eſſe ſentio morbi augmentum expectare, & oneratam naturam ita oppreſſam relinquere, & poſtea uirtute deficiente, ob morbi uim in morbi uigore uelle remedia adhibere; In principijs enim morborum ſi quid mouendum eſt moue, dicebat D. Senex, In ſtatu autem quieſcere oportet. Sunt ex alia parte quidam alij, qui non ſolum extra tempus remigant, ſed plures, crebraſq; remigationes dant, dum, (ut uideantur copioſi remedijs) uno, & eodem tempore multa, ſæpe inter ſe contraria omnibus ferè corporis membris remedia (ipſi appellant) apponunt, parum, aut nihil obſeruantes, an eo tẽpore natura egeat ea remigatione, an non, ſicq; non ſolum dolonem, & Epidromum, ſed acation quoque contrarijs uentis exponũt, ut ſagaces, & ſolertes medici uideantur, & tandem in ſaxum delati facto naufragio, ægros perimunt. Sunt ergo medicamenta omnia cum ſummo medici iudicio debito tempore in uſu habenda, neque caſu proijciendæ ſunt aleæ, nam nihil æque præclarum medicum efficere poteſt, quã iudicij ſecuritas. Qui uerò tale à natura non obtinuerunt, fruſtra ſperent illud umquam acquiſituros eſſe.

eſſe. Ex parte uerò ægrotantis ita ſeſe ferre debet, ut in ſex rebus non naturalibus tem peratè ſeſe gerat; nam non ſolum oportet medicum ſe opportuna facientem præſta re ſed & ægros, & quæ ſequuntur. Præterea ſi morbi natura miſſionem ſanguinis exigat, cæteraq; conſentiant, ſanguis extrahatur per loca idonea, in ea quantitate quæ & morbo, & uiribus ſufficere ualeat. deinde ad Mechioacani uſum accedat quod ſumi debebit reiteratis quandoque pluribus uicibus, prout morbi rebelles ſeſe oſtendent: bis enim, ter, quaterq; ſexiesq; & pluries etiam ſumi poterit, interpoſitis tamen aliquibus diebus, ac uiribus recreatis. Habui ægrotam, quæ interpolatis diebus per. 6. uices illud ſumpſit, cuius auxilio Diuino annuente numine à febre lenta, cachexiaq; cum continuo ventriculi angore, & uomitu à quibus cruciabatur, & ferè pro diſperata habebatur, libera euaſit.

Purgat ergo humores bilioſos tàm craſſos, quam tenues, pituitamq; tam craſſam, quam tenuem, icores quoque ſanguinis elicit, ac euacuat, bilem præterea uſtam, & quamcunque melancholiam educit, feliciſſime humores putridos expellit, putrediniq; ualidiſſime aduerſatur, flatus diſcutit, ac reſoluit. Eius excellens prærogatiua eſt ad Hepar, illud mundificando, obſtructiones eius demendo, ac ualidiſſime corroborando. Alijs quoque naturalibus membris auxiliatur, nempè uentriculo, & lieni, obſtructiones enim, & quaſcunq; ægritudines ab obſtructionibus dependentes ſanat, tumoresq; illorum deſtruit; Hicteritiam, & Hydropem curat, membraq; omnia præſertim naturæ ita corroborat, ut facillime malas qualitates temporis longitudine contractas emendet. Febres cronicas, erraticasq; quæ ex miſcela humorum æterogeneorum

neorum oriuntur, & quæ ex craſſis humoribus obſtru-ctiones facientibus originem habent, ut ſunt duplices ter tianæ nothæ utriuſq; famæ, & quotidianæ erraticæ, & ſimiles rebelles, ſi quid aliud ut plurimum ad ſanitatem perducit: dummodo ſæpe repetatur eius uſus, per epicraſim euacuando, partim ſcilicet præparando, partim euacuando. Renum paſſionibus ortis ab humoribus craſſis confert, euacuando, mundificando, ac robur addendo. Vterinis paſſionibus, quæ craſſis flatibus ut plurimum fiũt mirificè auxiliatur, quia pituitoſas materias craſſas euacuat, ac ingentem uim obtinet, diſſoluendi flatus, & rugitus. Ad quamcunq; reſpirandi difficultatem originem habentem à pituita, ſiue tenui, ſiue craſſa, ſiue flatuoſa efficax eſt, ob id cuique Diſpneæ, ad ſpneæ ſcilicet hortophnoę aſthmatiq; opem prępstat. Doloribus inteſtinorum colicis præſertim eadem de cauſa adiumentum validiſſimum eſt, quia pituitam craſſam euacuat, & flatus exſoluit. eodem modo dolores ſtomaticos potenter ſedat, quia præterquam quod humores frigidos, & flatus educit, reſoluitq;, exſiccat quoque, & calefacit temperatè uentriculum, ac vehementer illum corroborat, ac confortat: Ad ardorem, & difficultatem vrinæ, tum propter materias craſſas, tũ ob arenulas, & acres materias diffluentes, quæ ardores efficiunt originem habentes ſalutare eſt remediũ & tandem ad purificanda membra omnia naturæ ab humoribus ſuperfluis pituitoſis potiſſimũ, & flatuoſis remedium eſt apprime cõueniens; Quantum ad cerebri offenſas, à quo principes ſenſitrices, & motrices facultates dependent, ad eius plurimas affectiones potenter ualet, nã illud mundificat; & cum eo neruos, humores in cerebri poroſitatibus infixos educit, abſumitq;, ac ipſum cerebrũ

exſiccat,

exſiccat, & corroborat: Hac de cauſa Hæmicraniam ſanat, & quoſcunq; antiquos capitis morbos, ſicut eſt cephalea, Vertigo, Epilepſia, prohibetq; quamcunq; diſtillationem etiam antiquam, Monardes tradit ad ſcrofulas vtiles parere effectus. Ad podagram, cæteroſque articulorum dolores ſanandos (dummodo articuli iam debilitatem non contraxerint irreparabilem) ſummum eſt adiumentum.

Sed quid dicam de morbo Gallico, ad cuius luem pellendam, vt idem Monardes refert, & vt ego quoque experientia cognoui) modo ſit lues incipiens, & non multæ actiuitatis) ſolum Mechioacanum ſumptum ſufficiens quandoque fuit perfecte illam ſanare; quod ſi rebellis, & maligna fuerit, & neceſſe ſit ad guaiacum & ad ſalſam tãdem cõfugere, addatur Mechioacani auxilium, ita vt ſingulis ſaltem octo diebus ſumatur; nam ſic fęlici ſucceſſu quælibet Venerea lues debellabitur, & ægri nulla cum moleſtia purgabuntur.

Plures ęgrotantes, qui prædictis morbis conflictati erant, quos vſu Mechioacani ijs ſex menſibus proxime præteritis ſanaui, referre poſſem in confirmationem eorum, quæ de hac radice retuli, ſed id efficere non eſt probati viri munus; ideò ſufficiat mihi Illuſtriſſimi viri teſtimonium, qui huius medicamenti virtutem, & benignitatem in ſe ipſum expertus eſt, dum ob Catharri deſtillationem curationem exequutus eſt; à quo ſine moleſtia, nobiliſſime fuit purgatus. Concludo ergo hanc radicem ſanctum eſſe medicamentum, & Magnatum, Principum, ac Regum medicamentum vocari debere, in quo reperiuntur virtutes omnes, quæ in Rhabarbaro, & Agarico ſimul commixtis adinueniuntur: immo

ſi

ſi quis dixerit Mechioacanum ſolum per ſe ſumptum efficere poſſe illud quod Agaricus, & Rhabarbarum præſtare valeant, non mentietur, quia pituitam, bilemque expurgat. Cum autem hæc medicamenta non leuem perturbationem, nauſeam, & moleſtiam ori, ventriculo, & inteſtinis ſæpe afferant, Mechioacanum autem nullam moleſtiam inducat, immo potius robur membris, guſtuiq; ſolatium det; non eſt dubitandum hoc ſalutare medicamentum cætera omnia excellentia, & virtute antecellere. Quare hortor te virum Illuſtriſſimum vt cogente occaſione pro tui corporis expurgatione, hoc medicamento vtaris, tamquam naturæ tuæ ſumme idoneo, de quo iam tutam experientiam habuiſti. Sed radix ſit recens, quo magis fieri poſſit, nam illi qui hanc paruifaciunt, decepti, & fruſtrati ſuo fine fuerunt, quia illam recentem non habuerunt, ſicuti nos habuimus.



HORATII GVARGVANTI SONCINENSIS

MEDICI AC PHILOSOPHI,

DE OVO GALLINARVM.

OPVSC. III.

MAGNA ſanè res eſt, & admiratione digna, in nutrimento tam nobili, tam naturæ humanæ conſentaneo, tot Medicos, tanta committere errata, dum in multis morbis, & fere in omnibus febribus ouorum gallinarum exhibitionem formidant: aſſeuerantes oüa gallinarum eſſe calidiora temperato, ac in bilem, & putredinem facile conuerti. Erroneam mehercule opinionem, authoritati, rationi, & experientiæ contrariam. De ouo ergo agere conſtitutum eſt, vt falſa hæc opinio, quæ mentibus adeo radicitus hæret, ſi fieri poteſt, eruatur ac extirpetur. De quo tria potiſſimum conſiderabo. Primum quid ſit ouum. Secundo, cuius ſit temperamenti. Tertio quomodo conueniat in-

ſebribus quomodo non conueniat. Ouum ergo qui Gallinæ partus eſt, potentia animatus eſt ſubſtantia adnaſcẽs; proportione reſpondens fructibus, & conceptui, ad pullorum propagationem, ſucceſſionem, perpetuitatemque à natura generatũ. Dico partum gallinæ ad excludẽdam quamuis aliam ſpeciem ouorum, quia intentio & ſubiectum huius opuſculi eſt ſolum de gallinarum ouis tracta re. poſui animatum potentia, quia potentia vim ſentitiuã habet quæ ad actum duplici reducitur calore, inſito ſcilicet & externo; formatiſque membris ſuas operationes exercet, actioneſque omnes animales ædit, quia pullus fit: addidi adnaſcentem ſubſtantiam, quia reuera oua ſunt quid adnatum, & per accidẽs animalium partes, nec ſunt, per ſe partes animalis, quia re iam actu exiſtente & perfecta, adueniunt. & quod aduenit enti in actu eſt ens per accidens, nam ſicut fructus non ſunt arboris partes, nec fętus animalis, ſic oua non ſunt partes gallinarum à quibus fiunt. Quia verò eorum quæ adnaſcuntur alia ſunt planè familiaria propriaque vt pecudũ lana, & pili, alia ſunt nõ propria, nec familiaria vt viſcus adnatum quercubus, fungi, plantarum germina inſerta, & arbores diuerſi generis copulatæ, oua reponi debent in genere illorum quæ adnaſcuntur proprie, & familiariter, ad hunc finem a natura producta vt propagationem, & ſpecies ſibi ſimiles conſeruet. Hæc enim eſt rerum omnium viciſſitudo vt vnum ſimile ſibi aliud generet. Ouum autem potentia animatum eſt, ineſtque ei principium vegetabile, & ſenſationis, vt ob id cum à calore extrinſeco foueatur, & excitetur calor internus, animal procreetur: Vis enim formatrix quæ cunctis ſeminibus ineſt in pericarpijs, ouo quoque reſidet: quæ principium motus intrinſeci gene-

rationis exiſtit, hæc eius anima eſt, quę cum organa proprijs operationibus deſtinata acquiſiuerit, quaſcunque animales prodit operationes: effoffmantur autem organa ope altricis facultatis, quæ perficitur per materiam ſubminiſtratam auxilio aliarum facultatum naturaliũ, & ſicuti ouum generatur ex ſanguine optimo; ita alimentum pro nutritione pulli ad augendum animal debet eſſe optimæ, & proportionatæ ſubſtantiæ; ut quod nutriri, & augeri debet perfectum euadat, nam quodlibet non fit ex quodlibet ſed determinatum ex determinato. Licet hæc de quocunque ouo intelligi poſſint, in præſentia tamen de ouis gallinarum, de quibus eſt inſtitutus ſermo, intelligere debemus; quæ alia nobilitate, & perfectione nutrimenti pręcedunt, ſicuti Galen. tradidit. 3. de aliment. facult. & nos in ſequentibus oſtendemus.

Tria gallinarum genera à Varone numerantur. 3. de re ruſtica cap. 9. Villaticæ, Ruſticæ, ſiue Agreſtes, & Africanæ. Villaticas ait appellari, illas, quas in uillis, nonnunquam etiam in urbibus ali uidemus, de quibus hic loqui eſt intentio. Ruſticæ, ſiue Agreſtes medij cuiuſdam generis ſunt inter uillaticas, & Africanas, quæ Varronis tempore raræ erant in Vrbibus, & in ornatibus publicis poni ſolebant, cum Pſytacis, & merulis albis, alijſque rebus inuſitatis. Ideò autem dictæ ſunt agreſtes quod non in uillis, ſed ferè in ſiluis oua facerent. Hæ primum allatę ſunt ex Gallinaria inſula Maris liguſtici, ubi hoc Gallinarum genus agreſte eſt & ferum: Paulatim deinde cicures factæ omnem impleuerunt Italiã, & ex Italia in Galliam, & Germaniam tranſlatæ fuerunt, a quibus ea de cauſa Longobardicæ gallinæ dicuntur.

Tertium gallinarum genus eſt, quas quod primum ex Africa in Italiam ſint tranſlatæ Africanas vocauere, Hæ vt loco citato Varro ait grandes ſunt, variæ, gibberæ, & à Græcis Meleagrides appellantur: vulgus hodie vocat Gallinas Indicas. Villaticæ ergo ſunt meliores, ac meliora pariunt oua, de quibus ſermo præſens inſtitutus eſt.

Multæ ſunt aliæ aues quæ oua pariunt, vt Phaſianæ, Palumbes, Colombæ, Turtures, hirundines, & propè infinitæ aliæ, quarum aliquæ fæcundius alijs pariunt. Gallinæ ſunt fæcundiores in hoc ſenſu alijs auibus, quia in toto anno plurima & numeroſiora oua pariunt, fæcundius crebrius pariunt aliquæ aues, quia reperiuntur nonnullæ quæ tria, quatuor, & plura oua vnica vice, pepererunt; ideo dicebat Ariſtot. 6. de Hiſtoria animalium cap. 1. columbas crebrius parere, gallinas vero numeroſius, facta ſcilicet compenſatione totius anni, ſi enim oua numerentur tum columbarum tum aliarum auium, quæ toto anno generentur, & oua gallinarum, numeroſiora erunt gallinæ oua, quam cuiuſuis alterius auis: Dixi proportione reſpondens fructibus, & fætui, quia ſicut fructus ex arborum ſuccis producuntur, nutriuntur, & augentur, ſic oua ex ſanguine gallinarum formantur, nutriuntur, & augentur: fructus tamen non ſunt arborum partes, quia arbor ſine fructu arbor eſt, & animal parturiens animal eſt ſine partu, nec partus ponitur in definitione animalis, ſicuti fructus non ponitur in definitione arboris; addidi vltimo ad pullorum propagationem, & perpetuitatem, quia natura cum indiuidua nequaquam ſeruare potuiſſet ab interitu propter principia con-

traria,

traria, ex quibus fiunt, & propter caloris natiui terminum finitum, humiditatiſque radicalis fluxibilitatem perennem, ſucceſſionem adinuenit per regenerationem, quæ fit quando ſimile ſibi ſimile generare potuiſſet: id licet nobis conſpicere in cunctis animantibus, in quibus perfectionis gradus reperitur; omnia tunc re vera perfecta dicuntur, quando ſpeciem ſibi ſimilem procreare valent; finis ergo naturæ in generatione ouorum eſt conſeruare pullorum ſpeciem, quemadmodum in alijs fętibus aliorum animantium quotidie ſeruari videmus: Hæc eſt oui eſſentia, quæ potius ad Philoſophum pertinet quàm ad Medicum. Cæterum ſi illud medicè conſiderare voluerimus, dupliciter poteſt ſumi, vel vt nutrimentum, vel vt medicamentum, qui autem hoc ſcire vult, oportet vt eius qualitates cognoſcat, quod idem eſt, ac ſi dicamus, quærendum eſſe quod nã ſit eius temperamẽtum, idque erit ſecundum quæſitum ordine propoſitum, dixi enim ſecundo loco me velle temperaturam oui conſiderare. De quo diſtinguendum eſt, nam aut totum ſimul heterogeneum conſideratur, nempe luteum, & oui candidum ſimul, aut vtrumque ſeparatum, ſi ſeparatum de candido loquendo frigidum eſt & ſiccum, ſi enim effectus conſpiciantur, frigefacit, & deſiccat primo ordine, ſine mordacitate, & ideò valet ad inflammationes, ad fluxiones calidas, ad ſanguinis hęmorragias, ad ophtalmias, ad pudendorum, & ſedis vlcera, quæ medicamenta ſuauiſſima requirunt, minimèque mordacia: vtimur candido oui ad ſupprimendum ſanguinem fluentem ab inuolucris cerebri, miſcendo ea quę vim habent conſtringendi ſine morſu, conuenit vlceribus rebelli-

bus,

bus, quia ſine morſu ea poteſt exſiccare, cui admiſcetur tutia præparata, & alia metallica elota, & præparata. Vitellus quoque vim habet mitigandi dolorem, ſine mordacitate. Elixari quandoque ſolet, vel aſſari, & tunc maiorem exſiccandi vim obtinet, minus tamen mitigat dolorem, quam ſi crudus apponatur. Totum autem ouum ſumptum diuerſę ſubſtantię crudum cum oleo roſaceo diſſolutum valet ad oculorum, palpebrarum, aurium, mammarum flegmones, ad inflammationes, quæ ob contuſiones neruorum, tendinumque fiunt: ſiue in manibus, ſiue in cubito, ſiue in pedibus, ſiue in alijs articulis. Totum autem ouum in aceto coctum ventris fluxiones comeſum ſiſtit, deſſicando, & adſtringendo. Modum quendam docet Galenus parandi oua, quo parandi modo vim medicamentoſam acquirunt, ad fluxus ventris ſiſtendos, ſiue ſint Dyſenterici, ſiue Cęliaci, ſiue alterius generis; Coquuntur autem ſuper prunas, friguntur que, & additur vel portio agreſtæ, vel Rhus obſoniorum, vel Erithros, ſeu ſuccus ipſius. Galla quoque puluerizata, putaminaue mali punici, ſeu grana, cinis coclearum integrarum vſtarum, vuarum acini, myrta, meſpila, & corna: Si verò maiora voluerimus & efficaciora, Balauſtium, Hippociſtis, citini, ideſt mali punici flores, erunt præſtantiſſima cum ouis admixta dum friguntur. Totum ouum ambuſta iuuat, agitantur ſimul oui candidum & vitellus, & molli lana excepta loco affecto apponuntur. Valet tandem cum alijs medicamentis coniunctum, vbi intentio eſt humiditates exſiccare, tuncque coquitur, vel aſſatione, vel elixatione, vel frictione; ſi verò intentio ſit aſperam arteriam, & pectus lenire, in aqua cale-

fit

fit tantum, & ſorbile appellatur, & exhibetur, hoc enim modo coctum & ſumptum aſperitatibus ſtomachi, & aliorum viſcerum medetur. Ouum recentiſſimum ſi ita nuper editum ſæpe abſorbeatur alba vteri profluia, & gonorheam ſanat. fit oleum ex vitello ouorum valens ad plurimos affectus, faciemque & alias cutaneas aſperitates lenit, ſerpigines, vitiligineſque tollit. Labiorum, manuum ſediſque rimas ſanat. Dolentibus vlceribus, & articulorum cruciatibus auxiliatur, aurium quoque doloribus, & earum vlceribus prodeſt, medetur ambuſtis, capitiſque vulneribus, quando putredo in membranis contuſis contrahitur; admirabile præſtat auxilium, in ſegregandis partibus putridis ab illis quæ adhuc putredinem non contraxerunt. Hæ ergo ſunt virtutes, & vtilitates ouorum prout medicamenta ſunt: ex quibus colligere licet temperaturam oui non eſſe calidam, ſed frigiditatem aliquam in ſe continere cum morbis calidis curandis conueniat, & ad inflammationes tollendas præſentaneum, ſit remedium.

De ouo autem ſi loquamur vt nutrimentum eſt, cui nam dubium eſſe poteſt oua eſſe nobiliſſimum & conuenientiſſimum naturæ humanæ nutrimentum? inter alimenta enim nil vicinius eſt ipſi ſanguini, quam ſunt vinum, aqua carnis nempe ius, & oua ex Auicenna lib. 1. fen ſecunda, doct. 2. cap. 12. Præterea ſi quæramus alimentum ſubtile, multumque alens, hæc tria ſunt ait idem Auic. vinum, aqua carnis & oua ſorbilia, & tremula, & ideò inter ea alimenta reponuntur quæ paucæ ſunt quantitatis, qualitate tamen, & nutritione plurimum ualent; Præterea ſæpè dicere ſolebat Auic. oui uitellus uicinus eſt naturæ ſanguinis: oua ſorbilia calefacta, aut tremula

nutrimen-

nutrimentum præſtant tenue, & multum. Oua elixa ſunt multi, & ſpiſſi nutrimenti, oua elixa ſunt ſpiſſi, multi, & boni nutrimenti: Oua multi nutrimenti ſunt, & paucæ quantitatis, & tandem concludebat his uerbis, ouorum uitella ſunt temperatæ qualitatis. Sed quid clarius uerbis Galeni xi. ſimplicium tractatu de ouis, qui totum ouum iudicans, uitellum ſcilicet, & albumen ait, oua gallinarũ ſunt frigidiora ſymmetro, albuminis cauſa, quia uitellus temperatus eſt; ſed quia albumen frigidum eſt & ſiccum, ideo à temperato recedit paululum ad frigiditatem uergens ob oui candidum.

Si ergo Gale. aperte dicit oua eſſe ſymmetro frigidiora loquens de toto ouo, & Auic. reponit ouum in gradu excellentis ſubſtantiæ, quo nihil utilius, aut conuenientius ad alendum ſine excrementis reperiri poſſit, in quo nulla qualitas excedens, aut amarã, aut mordicans, aut acuta, aut calida inueniri poteſt, cur in febribus non ſolum ardentibus & igneis, ſed etiam in ſpurijs utriuſque famæ eorum exhibitionem, tanta cum proteſtatione & animi peruerſitate deteſtantur? Quæ quæſo in corpore alteratio ſentitur poſt ouorum uſum, ubi in alimentum diſtributa fuerint? qui calor, quæ febris auctio, quæ corruptio, qui ſenſus, quæ putredo? nulla ſane. nulla mala qualitas, immo humorum fit adęquatio & ſi bilis exiſtit in uentriculo, temperat illam, acrimoniam obtundit. Si humores ſunt acerbi, acetoſi, uel crudi, eorum prauam qualitatem demulcet, ſi nidor, nidorem ſedat, ſi uentriculus ſubuerſionem ex imbecillitate patitur hauſtum ouum cum iure uentriculum pacatum reddit: Vireſque adeo potenter, & celeriter reficit; ut ſæpè ſæpius plurimi ægroti in animi deliquium inciderent ſiue ob uentri-

culi

culi inanitionem, & debilitatem, ſiue ob eiuſdem morſum ab humorum acredine, niſi oui uitello, uel per ſe uel iure diſſoluto reficerentur. Qui uſus à quibuſdam miſellis Medicis ſcepticis tyrannico quodam, ſed imbecilli imperio damnatur, quod ſine illorum uenia à mulieribus exhibeatur. tanti enim propriam exiſtimationem & dignitatem faciunt, ut nihil ſine illorum nutu peragi patiantur, licet etiam plurimi domeſtici prudentiſſimi ſint, & eo iudicio præditi, ut quandoque errata medicorum admirabili ſolertia cognoſcere ualeant. Cum igitur ouum ſit temperato frigidius, & ſiccius ex directo contrarium eſt putredini; & ex conſequenti febribus putridis præcipuè conuenientiſſimum eſt remedium. Quare ſophiſticæ ſunt illorum opiniones, ſine ratione, ſine authoritate, & ſine experientia, qui oua abhorrent, in febribus, & in alijs morbis. Scio ptiſanam in multis morbis, & maxime in illis qui multum ignem habent, quandoque ouis utiliorem, & conuenientiorem eſſe, propter duplicem uim quam habet, nempe nutriendi, & refrigerandi. ſed ſola ptiſana raro per ſe ſufficiens eſt ad uires ſuſtinendas, preſertim in quibuſdam naturis quæ digerentem, & reſolubilem habitum habent, quæ reſtauratione ſubſtantifica indigent; amplius ptiſana non conuenit in quocunque morbi tempore, loquor de tempore uniuerſali; quemadmodum oua conuenire experientia, & ratio docet: & eo minus apta eſt, ubi aliquis fluor aluum infeſtauerit. Verum ſi occaſio feret exhibendi ſimul ptiſanam, & ouum, ſane nil in morbis utilius, aut ſalubrius, modo unum, modo alterum augen-

do, aut minuendo. adſit ſemper iudicium, & prudentia medici; à quo omnia metiri coniecturis, & ſolertia debent. Mitto malum uſum, quia nihil eſt tam laudabile, quod magis uſu non deprauetur. mitto præterea antipathiam; quia aliqui ſubſtantiæ proprietate oua abhorrent, ſicuti abſtemij uinum: quia hoc non contingit ob formam temperamenti oui, ſed ob deprauatam temperaturam ſenſus guſtu.

Variant autem bonitatem & uirtutem oua ob duas cauſas, ob ætatem, & ob uarium præparandi modum. Recentia namque nuperque edita optima ſunt, & boni ſucci, ſanguinemque probum gignunt, ſunt facilis coctionis & diſtributionis, nullumque naturæ uitium, aut detrimentum inferunt. Antiqua uerò ſunt ſubſtantiæ ſemicorruptæ, facile putredinem augent, prauum odorem redolent, ſaporem ineptum præſtant, nutrimentum prauum efficiunt, ex quo fit, ut morbis qui à putredine oriuntur inimiciſſima ſint, eo quod putredinem humorum, & corruptionem augere facile queant.

Variant uirtutem ob diuerſum præparandi modum, nam elixata, & aſſa, & frixa comeduntur, elixantur uel integra uel fracta; integra aut ſorbilia, aut tremula ſunt, aut dura; tremula ſunt optima, ac meliora ijs quæ in cineribus coquuntur, licet tantum non nutriant. Sorbilia uerò ſunt & optimi nutrimenti, & facilis coctionis, gutturiſque aſperitatibus medentur. dura uero elixata difficillime coquntur, multum nutrimentum afferunt, ſunt minus mala, quam ea quæ dura ſub cineribus coquntur, utrunque tamẽ craſſum efficiunt

ciunt ſuccum propter craſſitiem, & lentorem ſubſtantiæ, obſtructiones lapidemque generant, in uentriculo putrida fiunt, nidorem faciunt, dolores eiuſdem uentriculi inducunt, ac dolorem colicum efficiunt, tum quia ſua craſſitie, & uiſciditate flatus concludunt, ne exeant, tum ob uiciatam coctionem, fluxiones tamen cohibent, & ſiſtunt aluum. Quæ uero franguntur & liquore diſſoluuntur, ſunt in duplici differentia. aut enim aqua ferue nti infunduntur, ſuntque boni ſucci, facile coquuntur, optime alunt, ſed uitelli tantum edendi ſunt, quia candidum ferè indureſcit. aut iure alioue liquore diſſoluuntur, ſunt perfectiſſima, nec vllum aliud alimentum magis accomodatum & conueniens reperiri poteſt. Probum enim ſanguinem efficiunt, alunt conuenienter, cito diſtribuuntur, adæquant humores, ſpiritus cito reficiunt, nullumque extraneum calorem, nullamque frigiditatem inducunt, coctioni amiciſſima ſunt, guſtuique gratiſſima, & eo magis ſi quid aceti, aut omphacij adiungatur, aut ſucci citri, aut aurantij, aut ſimilis alterius rei. Horum uſus adeò frequens eſt in hac ciuitate, vt maior nutrimenti pars dum ægroti curantur, in ijs conſiſtat. quandoque etiam vino diſſoluuntur, additurque ſaccarum, & fit illud genus edulij, quod parturientibus exhibetur, ad citam renutritionem vireſque reficiendas; & hic eſt varius elixandi modus. Quæ verò aſſantur cineribus, aut mollia, aut tremula fiunt, aut dura, mollia eadem fere bonitate ſunt ijs quę elixantur aqua, paulo minus tamen bona. Dura verò praua ſunt, difficilis admodum concoctionis, deſiccant valde, & aluum ad-

 ſtrin-

ſtringunt. Tertius præparationis modus eſt ille, qui per frictionem fit; friguntur autem aut ſartagine, & fiunt illę tortellę cum butyro quę ventriculo nociuę ſunt, facileque in eo corrumpuntur, prauum ſuccum generant, nidorem habentem, difficillimeque concoquuntur, aut alio quouis modo friguntur butyro, & hęc quoque difficulter coquuntur, & nidorulentum ſuccum pręſtant.

Hic eſt uarius modus pręparandi oua gallinarum, quę excellentia bonitatis primum locum ſibi uendicant, quo fit ut illa eligantur, cętera uero relinquantur. Oua perdicum, & faſianorum ſunt quoque boni ſucci, multum & uelociter nutriunt, uenerem augent, uelociter reſtaurant, hecticiſque opem ferunt: ſed quia difficillime habentur, & ſunt paruę molis, & in pauca quantitate, ideo hęc in uſum non ueniunt, ſed gallinarum oua eliguntur, quia in bonitate primum ſibi uendicant locum. Cętera uero, ut anatum, aſerum & mali, craſſi ſucci ſunt, difficulter coquuntur, concocta tamen plurimum exhibent nutrimentum. Peiora omnibus ſunt ſtrutiocameli, nam uiroſum odorem habent, difficile coquuntur, & prauum ſuccum efficiunt: peſſima & humanę naturę inimiciſſima ſunt Pauonum oua, horribilia ſapore, incoctilia, & ſuccum, peſſimum pręſtant. Columbarum uero non ſunt ita ſpernenda, ſi quidem caliditate ſua uenerem excitant, ac nutrimentum non omnino prauum afferunt. Ex his igitur patet quid ſit ouum, quod nam ſit illius temperamentum; & quomodo conuenientiſſimum ſit nutrimentum in febribus & in alijs

morbis:

morbis:quam inſignem vtilitatem exhibeat in curandis tum uulneribus partium nobilium; tum aliarum omniũ inflammationibus:uariumq; eorundem coquendi modum indicauimus,in quibus rebus deliberandis,ſi per ſemitam rectam ueritatis (ut opitur) inceſſi, omne bonum ad Dei. Opt. Max. gloriam; ſin ſecus omne imperfectum ad imbecillitatem ingenij mei referatur.

Laus Deo.

Finis Trium Opuſculorum.